











BERNARDUS TREVISANUS
46 leaves + 2 blank

Very rare.

The " Opus historicum ", entitled in the text " Libri quatuor de chemia ", contains a. o., the following chapters: " De transmutatione metallorum, de primis inventoribus chemiae, omnes operationes, prosecutiones, et labores auctoris, amalgamationes et multiplicationes, de sole luna et mercurio sublimato, metalla reducenda ad primam materiam, de Gebero et natura mercurii, spermata duo mixta sunt prima lapidis materia, liber turbae veridicus ", etc. etc. — A few short margins, slightly browned, but good copy of this very interesting work.

Comitis antiqui TREVIRENSIS

PHILOSOPHI EXPERTISsimi, περὶ χημείας opus historicum & dogmaticum, ex Gallico in Latinum simpliciter uersum, & nunc primum in lucem æditum.



ARGENTORATI SAMVEL Emmel exprimebat.

M. D. LXVII.

Gulielmus Gra

TAROLVS MEDI-
CVS ET PHILOSOPHVS EX-
cell: Doctori Gallo Etschenreutero, Se-
lestadij Medico Physico.
S. D. P.



VM TE IAM DVDVM tùm aliâs Argentinæ agẽtem, tùm proximè istic, ut scriptas inuicẽ literas omittã, probè cognorim, quàm doctè ac curiosè medicinã facias, illiusq́ puriorem partem, quo polles ingenio & indefesso labore, secernas, & in usum plurima tuo marte conferas, non sine abstrusioris physices praxeos inuestigatione ac cognitione, quamq́ libenter περὶ χημείας libel-

 los

los euoluas, ſineq́ impoſtura uel inani iactantia res ipſas oſtendas, conferas cum alijs artis amicis, & communices: uiſum mihi eſt huc eius rariſsimæ artis & ſcientiæ præcipuum & multis alijs ſinceriorem libellum, (cuius author alios ſuo exemplo ac periculo cautiores faciet,) tuo nomini à me dicatum & nuncupatum, in lucem ędere, ut perpetuum amoris erga te mei μνημόσυνον. Nactus eram hunc paucos ante annos Gallicè ſcriptum, quem uerti non ut elegantius, ſed ut clarius ac ſimplicius, potui: pauciſsima uerba non ſatis à me in ea lingua intellecta ſiui ut erant, quò à linguæ peritioribus melius intelligantur, cum mihi in Germania agenti, non ſatis commodum fuerit

ſocium adhibere interpretem: ea tamen uix decem erunt, & quæ lectionem aut materię intelligen-tiam remorentur. libellus alioqui fuit integer, & marginalibus an-notatis ſatis peruius, qui hiſtorię, doctrinę & admonitionum mul-tarum loco eſſe poſsit: ideoq; ad communem utilitatem, ut in alijs, Dei gratia, ſolitus ſum, ædidi, ſi-ne ulla inuidia ſeu uerborum ob-ſcurorum & fictorum diabolica ſeu noua Theophraſtica inſer-tione, ac peruerſione. hoc fruãtur doctrinæ filij & aſſeclæ, donec maius opus ſemel æditum à me, rurſus benè correctum, collatum, & auctum, aliquando, eodem uel alio petente typographo, ædatur. benè vale, & me mutuò amare perge. Baſileæ nonis Aprilis. M. D. LXVII.

NOBILI DOCTORI THOMAE DE BONONIA, GVbernatori Galliæ, Philoſopho doctißimo, Bernardus Dei gratia comes de Treſne in Germania, ſalutem in Chriſto.



MICE, SI REM HABErem nobiliorem, cogita quo corde tibi illam dedicarem: Nam uiſa & conſiderata uirtuoſa huius ſcientię altitudine, quam non ignoras, atq; ideò uolui tibi nuncupare hunc meum laborem, orans te ut eum ita ex bono corde ſuſcipias, ut tibi eum dono: & cogita quod dum tibi meum hunc laborem dono, maiorem theſaurum dedi qui unquam fuerit ordinatus ex bona uoluntate ab omnipotenti Deo ſecundum naturæ curſum. Eſt ſiquidem iter perueniendi ad omnes ſcientias quas uulgò appellamus Petram philoſophalem. Et inuenies

in hoc meo paruo libello (paruum dico in uerbis, ſed magnum & ſublimẽ in ſubſtantia) quemadmodum contineat integrè omnem ſcientiam, id eſt principium & finem. inuenies meum librum diuiſum in quatuor partes: & poteris de eo iudicare poſtquam benè illum intellexeris. Vale ex Treſne, 12, Maij. 1453.

Nobilis & ſcientificus Bernardus comes de Treniſio ſubtiliſsimus in Philoſophia, qui gratia Dei ut benè expertus tàm in theorica quàm in practica, poſtquam hauſit altiſsimam ſcientiam dictam lapidẽ Philoſophorum, noluit relinquere tanquam theſaurum omnium optatiſsimum, nempe uerum gaudium huius excellentiſsimæ ſcientiæ, relinquens hîc ſcriptum, quomodo præueniat quis periculum & damnum, cui communiter ſubiecti uel obnoxij ſunt diligentes & ueri ſectatores, ut continetur in ſuo libro cui titulus eſt, Veridicus

Taruiſinus: qui & infra ſequitur.

Bernardus comes Taruiſinus in ſua uita per gratiam Dei omnibus ueræ ſcientiæ amatoribus ſalutem in Chriſto.

Poſteaquam expertus ſum errores & deceptiones Alchymiſtarum & falſorum calumniatorum, qui ſuis deceptionibus nil aliud agunt, quàm odioſam reddere ac contemptibilem noſtram deſideratam ſcientiam, ut remedium adferrẽ tali periculo & damno, uolui admonere omnes ueraces & magnanimos homines, in hunc finem, ut poſſent tutò perſequi ſuum ipſorum negocium, tàm in euitandis laqueis & deceptionibus talium abutentium & decipientium, quàm in proſequendo ſolam ſemitam benè ſapientium & experimentatorum noſtræ dictæ ſcientiæ. Fertur in communi prouerbio, poſſe aliquem audire quemuis loquentem, ſed leuiter credere, non poſſe ſine damno, niſi adſit bona pro-

na probatio. Apostolus Paulus nos docet, ut omnia experiamur, teneamus uerò quod bonum est. Diuus Ioannes monet, probandos esse spiritus an ex Deo sint. Volui has sententias adducere, ut remedium adferrem supradictis damnis & periculis inuentis à talibus falsis chemistis deuiantibus omnino à uera & perfecta natura. Vt benè cognoscant res, quemadmodum ego expertus sum, ut ostendam in meo ueraci Taruisino scriptum, ubi nihil dicam quàm meram ueritatem. fugiendi sunt igitur tales Alchimistæ fantastici, tanquam potio uenenata, & pestis contagiosa: Nam nulla in re deseruiunt, quàm ut in desperationem inducant liberales & notabiles uiros optantes ad nostram dignam scientiam peruenire: nam suis expoliantur bonis à talibus nugiuendis & fantasticis Alchimistis. Multotiens enim in curri in acutos chemistas, & quærens dictam scientiam, sed nunquam

inueni duos eiuſdem ſententiæ teſtes. Namque unus rem unam narrabat, alius aliam: nõ quærentes aliud, quàm ut me ac meum argentum ad ſe traherent: Vnus me laborare uel operari faciebat in mortuis corporibus, alius in herbis, alius in aquis fortibus, in multis ſophiſticis modis, ut in meo libro uideri poterit. Quapropter qui tutò uoluerit operari in dicta ſcientia, diligẽter notet quomodo me geſſerim gratia Dei. Poſteaquam hoſce malè feriatos Alchemiſtas reliqui Deo deteſtabiles & mundo; atq; ita peruenire poterit ad dictam ſcientiam et ueram perfectionem uirtuoſiſsimi lapidis Philoſophici: quandoquidem inimicum ſit iter ad illum perueniendi, & non plura.

Liber composi-tus a magnifico domino Bernardo Comite Treuerensi & Naygensi in Germania, de Transmutatione metallorum.



NVOCATO DEI NOMIne, sine quo nihil fit aut promouetur, quia omne bonum tàm in animum quàm in corpus ab eo prouenit, in hominibus bonæ uoluntatis, quia in hominem prauæ uoluntatis nunquam intrabit sapientia neq; auxilium ex Deo, neq; ipsi dabitur.

Vt ergo tot inquisitores huius uerissimæ, nobilissimæ, dignissimæ, excellentissimæ ac tam preciosæ scientiæ ac uenerabilis artis reducantur ex tenebris in lucem, utq; relinquant tot transuersas uias, in quibus nullus est profectus quacunque uia id sit, siue ob laborem quem adhibeant, neque ex tot experientijs quas tentare queant, nunquam aliqua utilitas uel aliquis pro-

prouentus ueniet, aut ulla ueritatis apparentia.

Vt ergo digna hæc ars non eleuetur à deceptoribus Sophisticis, atque ut ueri inquisitores illius, gustent de uero fructu quē hæc nobilis scientia his adfert, qui eius filij erunt, insequendo uerum iter ac semitam, quam natura tenet in omni sua creatione, operatione, & compositione, atque ut possint esse benè informati, tâm in speculatiua theorica, quâm in practica ob rationes necessarias expertas & ueras, & per ueras experientias quas meis manibus feci & meis oculis uidi. Nam quater composui benedictum lapidem Philosophalem, qui ab ignorantibus illum & nescientibus uirtutem illius uili uenditur & negligitur, & solum à sapientibus laudatur & honoratur. Nam ex ignorantibus nonnulli sunt qui putent rem esse imposibilem: Aliqui usq; adeò difficilem rentur factu, ut ad illius compositionem & perfectionem nemo usquam perueniat, & potius deuiant à recto tramite, quàm ut rectum iter ingredi uelint, & sua atq; aliorum bona consumunt cum receptis (ut uocant) seu deceptis particularibus, & libris sophisticis, ut Geber, Archelaus, Rasis, semita recta Alberti magni, tramita Aristotelis, canon pandore, Lumen

Insequenda nom in opere nostro.

Autor fatetur se quater lapidem composuisse, ut infra in fine tertij libri.

Libri sophistici qui.

Lumen Rasis, Epistolæ Demoffontis, & magna summa textualis, & plura alia infinita uolumina errantia & irrationalia, quæ errare faciunt & expendere tempus, infinitam pecuniam, aliaq; bona, sed in fine nunquam aliquid utilitatis reperitur: similiter in tot receptis sophisticis, in tot regiminibus tædiosis, & magnorũ sumptuum quæ deceptores inducunt: ita ut ubiq; perfecta & uenerabilis scientia in derisum ueniat, & ut deceptio habeatur: & ignari uulgò dicunt, Quod quemadmodum sapientes fuere decepti, sic uelint alios quoq; decipere: quod equidem est stulta & insulsa ratio: Quia sapiens desiderat opus facere, cuius post obitum habeat laudem perpetuam: Cur ergo uellent ipsi scribere nugas quæ nulla ratione naturali probarentur? Sed ignari nisi prima uice librum intelligant, malè loquuntur de illo, nec amplius inspicere uolunt, aut relegere, dicentes, nil aliud quàm fabulas esse & nugas. Quapropter multi nequeunt peruenire ad nobilissimam scientiam. Quia plus ualeret sola imaginatio bonæ intelligentiæ naturalis, quæ tamen parumper cognouisset naturæ metallicæ principia, & citius ueniet ad debitum finem, quàm per libros, si uelit legere & intelligere sine studio. Et ideò ut possim

ſim facere bonum tractatum & breuem, inſequendo congregationem ſapientum qui ita benè ac notabiliter loquuti ſunt de hac perfecta ſcientia, atq; ut ex meo libro diſcipuli poſsint benè informari tam in theorica ſpeculatiua, quàm in practica operatione.

Diuidam meum librum in quatuor partes: in quarum prima loquar de inuentoribus huius nobilis ſcientiæ, deq; ſapientibus qui eam habuerunt, & quomodo ad illam, Dei gratia, peruenerim, & de illo ex quo eam ſciui, ac didici.

In ſecunda parte loquar de me ipſo & de meo tempore, & quomodo poſt inceptionem uſque ad finem eam ſciuerim, & quomodo in totum & per totum fecerim ſinè ulla inuidia, deqúe laboribus & pœnis inſuportabilibus quas pertuli in eius proſequutione.

In tertia parte loquar de principijs & radice metallorum, & ponam rationes, probabiles, euidentes, & benè prophanales.

In quarta mei libri parte loquar de praxi, quam parumper parabolicam ponam, non tamen tantum quod ſi quis diligentiam & ſtudium adhibeat in intellectione illius & aliarum partium, poterit in ea eſſe inſtructus mirabiliter, ſi non intelligitur opus

opus. Quod si non intelligas opus per meũ librum, equidem credo te nunquam peruenturum ad hanc dignam scientiam: nihilominus si non poteris intelligere neque in prima, neq; in secunda, neq; in tertia uice, neq; in decima uice, sed crede quod quò plus releges ac repetes, eò melius intelliges. sed ne putes intelligere in secunda uel tertia uice aut in quarta, nec in decima, sed quotidie legendo & sæpe repetendo, melius intelliges.

Si non intelligitur opus per hunc librum, per nullum alium poterit intelligi. idem in fine quartæ partis replicat.

Neque aliquid in meo libro dicam quod naturali ratione non probem, atq; euidenti experientia, tum etiam authoritatibus magistrorum loquentium de hac arte ac scientia rationabiliter. Magna igitur ratione deberet homo magno studio & sollicitudine omniq; diligentia ponere seu adhibere studium, laborem, & exercitationem ut haberet ac sciret, quia ex hac scientia potest succurri omnibus miseris mendicitatibus & infelici paupertati: Nam paupertas non solum corpus occidit, sed etiam spiritum, animam, & uitam: & perimit uires, sensus, & intelligentiam: ita ista dignissima & nobilissima scientia & lapis diuinus ex uirtute quam dominus noster potuit in illo, liberat hominem ab omnibus miserijs, ægritudinibus, & paupertate, & sanat omnes infirmitates

Vtilitates huius scientiæ.

Elixir completum curat omnes ægritudines & morbos hominum.

mitates corporales & spirituales, homines statim sanat ubi natura uiget seu uires sint, ut sæpius expertus sum in caducis, hydropicis, hecticis, artheticis, phtisicis, colicis, lientericis, melancolicis, disentericis, asthmaticis, empicis, phreniticis, calculosis, stranguria, quartanarijs, spleneticis, stultis, maniacis, & omni febri, paralyticis, apoplecticis, iliacis, demoniacis, igni sacro, & omni denique morbo, curaui enim tot, & in tanto numero quod longum esset recensere.

Conciliat item bonam audaciam, & sublimem memoriam, bonum sensum & intelligentiam. Et nunquam antea sciui hanc medicinam habere tot & tantas uirtutes ut habet, nisi ego uidissem, fecissem, & probassem. Et propterea deberet hęc nobilis scientia super omnes alias amari, appeti, & honorari, & conari habere: nam per hanc artem potest homo habere omnes artes & scientias.

Porrò ars ista, & ratio componendi uerum lapidē, omni genere uirtutum ornat animam, quippe eleemosinas inde elargiri poteris, cæteraq́ misericordiæ opera efficere, utpote captiuos redimere, opem ferre uiduis, & pupillis, sanare miseros ægrotantes.

Quinetiam studium potius tuum in percipienda

cipienda facultate hac ponas, quam in logica, uel decretis, uel Theologia scholastica, uel medicina, uel aliqua arte indigna, in qua discenda non raro quispiam totos sex aut septem annos consumit, huic uero scientiæ tam excellenti uel quinque aut sex menses tribuere dedignatur, cum tamen omnes aliæ nihili præ hac sint faciendæ, cuius tanta est facilitas, quantam, si praxim eius tibi aperiam, uix sis crediturus, ad librorum tamen nostrorum lectionem, ut genuinum ex illis sensum eruas, eumq; firma experientia comprobes, nonnihil laboris requiritur.

Prima pars libri,

DE PRIMIS INVENTORIBUS PRAEclaræ huius scientiæ.



CIENTIAE HVIVS PRImus inuentor (quemadmodum legitur in libro de operibus memoriæ, & in libro gestorum antiquorum, capite 6, Alii spirituum antiquorum.

Alii elementorum ex biblia.

pite 6. & in expositione Clementis super Biblia, & in aliis libris) fuit Hermes trismegistus, sic appellatus, ob Naturalis philosophiæ triplicis, Mineralis, Vegetalis, & Animalis, cognitionem, qui propter eandem caussam pater à nobis nominatur, ut in omnibus libris Turbæ philosophorum uidere est, qui ante Pythagorā illum fuisse asseuerant, atque omnis, quicunq; particeps sit huiu s artis, filius eius nuncupatur.

Atq; is est ille Hermes, cuius in Biblia fit mentio, quod post diluuium profectus fuerit in uallem Ebron, ibiq; repererit septem tabulas marmoreas, in quarum singulis insculpta erant initia singularum artium liberalium, quæ scriptæ fuerant ante diluuiū à sapientibus illius seculi, quibus constabat de uenturo diluuio super omnem terram, quo cuncta huius mundi essent interitura. Ne igitur artes istæ simul perirent, insculpserunt eas in istis marmoreis tabulis. Hermes ille solus inuenit tabulas, quæ fundamentum continent totius scientiæ, Vixit antequam à Deo Mosi darentur tabulæ lapideæ, in quibus scriptus erat Decalogus. Cæterùm quamplures quoque alij eam habuerunt. Nam, ut Aros, in libro quem dedicauit regi Masiriæ, testatur, tempore ueteris testamenti in deserto propè mon-

tem

tem Sinai hæc scientia fuit donata & reuelata à creatore aliquibus filijs Israhel ad decorandum & faciendum templum Hierusalem, & archam ueteris testamenti, ut scriptum est in Ezechiele ac Daniele Prophetis, & in libro Iosephi: atq; ita opus seu scientia donata fuit à Deo aliquibus, ut uobis dixi. Alij adinuenerunt ex natura, sine reuelatione diuina, & sine libris aliquibus, uel scripturis, aut experientijs. Sicut Platonissa, Rebecha, Sytonia, Salomon, Hecuba, Gadassar, Phylomacedon, Thessarinus: sed, ut inueniri potest, Hermes post diluuium fuit primus inuentor & probator huius scientiæ metallicæ, & inuenit dictas tabulas in Valle Ebron, ubi Adam & Eua fuêre positi, postquam eiecti fuerunt è paradiso terrestri. Post dictum Hermetem, fuit hæc scientia scita & experta à multis gentibus & personis infiniti numeri, mediante dicto Hermete, qui postquam lapidem composuit, fecit librum, ubi hæc propria uerba habet, Res est uera, certissima, & sine fallacia, quod sublime est de natura infimi: & ascendens est de natura descendentis: coniungite illos una uia, & una dispositione. Sol rubens est pater, & Luna alba est mater, & ignis est regimentum. Facite crassum subtile, & subtile crassum, & ita ha-

Hermetis uerba, de lapide.

bebitis gloriam mundi, & totum uestrum optatũ. Vides quid in summa dixerit Hermes: nam in eo libro nil aliud dicit, quantum ad hanc nobilem scientiam. Nam lectu breuis est liber ille, sed omnia sunt præciosa opera, & uerba notanda, in quibus totum opus & scientia continetur. Rex Calid, Hena, Sapiens, Morienus, Bendegistus tertius, & eius filius, Aristoteles, Plato, & Pythagoras, qui fuit primus testis appellatus à philosophis, qui fuit Hermetis discipulus, & fecit congregationem philosophorum, in qua sunt plures: qui liber uocatur Turba, & rectus liber, ac codex totius ueritatis: quia ueritas in eo continetur sine ulla superfluitate uel diminutione, quamuis sit obscurus legentibus. Alexander habuit hanc scientiam, qui fuit Rex Macedoniæ & discipulus Aristotelis: Auicenna similiter, qui optimè loquitur de ea. Similiter Galenus & Hippocrates. In Arabia uerò hæc digna scientia cognita fuit à pluribus, ut à magno Rege Haly, qui fuit supremus philosophus & Astrologus, qui illam Morienum docuit, Morienus iam dictum Regem calidum Arabiæ Regem: & Aros habuit, ac docuit illam Nephandionem suum fratrem: Saturnus item sciuit, & infiniti alij sciuerunt & practicarũt hanc

Liber Turba philosophorum qualis.

scientiam

ſcientiam, prçſertim in Arabia, & condiderunt plures libros ſub uerbis methaphoricis, & per figuras & uerba tacita, & tales modos, quod eorum libri non poſſunt intelligi præterquam à filijs ſcientiæ: in tantum quod tibi dico, quod citius diſcipuli per tales libros decipiuntur & deuiant, quàm dirigantur ad rectum iter ſcientiæ: & potius occultāt per eorum libros, quàm reuelent. Et ita in Gallia plures hanc artem habuerunt, & in ſeptentrionalibus, ut magiſter Iohannes Scotus doctor ſubtilis, qui librū condidit cui titulus eſt, Limes: qui diſcipulis optimè loquitur, & ita magiſter Gulielmus Pariſienſis, Raymundus Lullius, Arnoldus de Villa noua, magiſter Ioannes de Monſu, Ortulanus, Vendicus, & magna aliorum multitudo, qui integrè habuerunt: & uidens ego per hos libros tantum deuiationis, et magnas ob eos deſperationes, quç accidunt pauperibus ſtudentibus in ea, uolui ex charitatis amore remedium dare ac laborare pro illis meo poſſe ac mea parua intelligentia in hunc finem, ut Deum pro me orent, ac gaudeant hac digniſſima ſcientia, & lapide. (gloſſula.) Libri philoſophorum de hac arte ſcripti, potius in deuium, quàm in ueritatem legentes inducunt, quia ſunt parabolici, iſto excepto, qui clarā uiam docet & ueram.

Quinam hanc artem ſcierint.

Sequitur Secunda pars libri, ubi describitur authoris

labor à tempore, quo incepit usq; ad finem, secundum ueritatem & omnes eius operationes, prosecutiones, & labores.



RIMUS LIBER QUEM habui, fuit liber Rasis: cuius studio expendidi annos quatuor mei temporis: & benè constitit octingentis coronatis in experiendo uel experimentando. Postea summa Geberi, cui expendidi mei temporis biennium, qui benè constitit duobus millibus coronatorũ, & amplius: & semper habebam gentes quę me accendebant (inflamboient) ut me destruerent. Vidi quoq; libros Archelai philosophi. per tres annos post, inueni monachum, & ambo laborauimus seu operati sumus per annos quinque cum libris Ioannis de Rupescissa, & cum libris Ioannis de Sacrobusco, cum aqua uitæ rectificata trigesies

Rases.

Geber.

Archelaus.

Io. de Rup. Sc.
Io de S. b.
Nota de aqua uitæ.

gesies (alibi ter) super fecibus (dessus la lie) & tam fortem fecimus, ut non potuerimus reperire qui eam caperet aut ferret, ut ea possemus uti in operibus nostris: & ibi expendimus ambo trecentos scutatos. Et postquam ita transegissem duodecim aut quindecim annos, & tantum expendissem, ac nihil inuenissem, atque iam expertus essem receptas infinitas, & omnis generis obscuros libros, dissoluendo, & congelando, & calcinando plus quam centies sal commune, Salarmoniacum, sal panis, sal anatron, sal uitri, (quod & fel uitri, & alkali uocatur) sal petræ, sal saracenicum, sal metallicum: dissoluendo, congelando, calcinando, plus centies per duos annos in alumine rochæ, glaciei, scaiolę, panis, plumæ Indi, & omnibus marchasitis, in sanguine, in capillis, urina, stercore, spermate, animalibus, uegetabilibus, herbis, arboribus, cuperosa, atramento, ouis, in separatione elementorum in Athanor, per alembicum, per pelicanum, per circulationes, per destillationes, per calcinationes, reuerberationes, descensiones, ascensiones, infusiones, tinctiones, elementationes, rectificationes, euaporationes, contritiones, coniunctiones, eleuationes, sublimationes, & per infinita alia regimina sophistica & confusa: Et in omnibus

Catalogus rerum cuirandarum in arte Philosophica.

bus hisce negociis uacaui bene 12. annos, ita ut iam essem natus annos 38. & adhuc hærebam in congelatione mercurii cum herbis & animalibus, in tantum ut tota ea in arte expendiderim tam ob deceptiones quâm ob conuoytize circiter sex millia coronatorum: in tantum ut tandem inceperim amittere spem, animumq; despondere, nihilominus semper oraui Deum, ut illi placeret hanc gratiam concedere, ut possem ad hanc nobilem scientiam peruenire. Venit ergo unus Laycus bailinus nostræ regionis, qui uoluit facere lapidem salis communis, & dissoluit in aërem, & congelauit in Sole, faciendo plura alia, quæ longum esset recensere: & sic agendo perseuerauimus sesquianno, & in fine in hoc nihil uidimus, quia non operabamur in debita materia: Nam ut dicit uenerabilis congregatio codicis ueritatis, Non potest in re inueniri, quod non inest illi rei. at clarissimum est, in sale communi nõ adest res quam petimus: & benè uidimus per dies quindecim in quibus reiterauimus, quod nullam uidimus alterationem suæ naturæ: & ita reliquimus illum laborem. Vidimus alios qui faciebant tres bonas aquas fortes ut dissoluerent aurum & argentum finum, & æs, & alia metalla: & in uno uase ponebant argentum

Autor operatus est in sale communi.

gentum finum in aqua forti, & argentum uiuum in alio uase cum aqua forti & uiolenta, & in ea sinebant manere per tres (alibi tredecim) menses: postea capiebant ambas phialas & coniungebant ambas materias simul, & dicebant hoc esse matrimonium corporis & animæ: postea ponebant totum super cineres calidos, & faciebant euaporare tertiam partem dictæ aquæ fortis, & quod residebat, in fundo uasis ponebant in cucurbita triangulari bene stricta, & postea ponebant in Sole & in aëre, ita ut nihilominus dicerent ut ne pluuia uel uentus non tangerent: & dicebant quod in fundo uasis creari debebant parui lapilli christallini fusiles sicut cera congelata, & aiebant hãc esse petram ad album: & quod illa ad Solem seu aurum ita facta erat ad rubeum: & nos eo modo fecimus usq; ad 22. phialas omnes semipleras, & illi nobis donarũt tres ex suis, & nos tres, omnes expectauimus per quinq; annos ut hi lapides christallini crearentur in fundo phialarum, & tandem nos nihil inuenimus secundum intentionem nostram, nec unquam faciemus: Quia ut dicit Turba uenerabilis, Nos nihil extranei uolumus in nostro lapide, quia ex seipso perfectus est, & complet in sua & ex sua unica natura uel mate-

Nota de aquis fortibus quæ reprobantur.

ria metallica, & ideò nos fuimus in magna desperatione, ita ut iam essem natus 45. annos & plus. Postea incepimus cum uno doctore monacho de Cistraux nominato magistro Gufredo de Leuie, uel Leurier, & uoluimus sua instigatione uel intentione facere lapidem: Quia benè sciebamus omnes alias res excepto lapide & perfecta petra, esse nugas & fallacias: & ita nil aliud quæsiuimus quàm solum illum lapidem, quia benè sciebamus ueritatem esse, & uide quid fecerimus: Habuimus oua gallinarum ad ducenta (alibi 2000) & posuimus ut in aqua bulirent usque ad duritiem, postea separauimus uitellum ab albuminibus, postea calcinauimus uitellos usque quo in calcem uerterentur albam ut nix, & triuimus albumina & uitella dictorum ouorum, & fecimus putresieri in fimo, & postea destillauimus trigesies, id est, triginta uicibus, & eduximus aquam albam & oleum rubeum seorsim: & tandem plura fecimus quæ longum esset recensere, & tandē nil inuenimus illius quod petimus, et perseuerauimus annos duos cum dimidio, & taliter ut ex desperatione omnia reliquerimus. & causa errorum fuit, quod nō operabamur in materia debita. Postea meus socius & ego cepimus sublimare spiritus cum alijs, & facere aquas

Omnia alia opera sunt falsa excepto lapide.

In ouis est operatus frustra.

re aquas fortes, & dissoluere, & destillare, ac separare elementa, & facere fornaces, & ignes uarios facere: & in hoc fuimus annos 8. (alibi. 4.) Post hæc uenit theologus & magnus clericus, qui erat protonotarius Brugis, & cum eo nos uoluimus lapidem facere ex cuperosa Sola: & primo nos acetum destillauimus nouies, & postea posuimus cuperosam intus, primò calcinatam, per tres menses: postea nos extraximus acetum, & cuperosa remansit in fundo uasis: postea reposuimus iterum acetum, & rursus extraximus, & iterum posuimus acetum ut supra: & hoc fecimus quoque die quindecies, ita ut inde habuerim quartanam menses 14. ita ut mori exinde me putarim: & dereliquimus omnia per annum: & tandem nos nihil inuenimus ex eo quod petimus, quia operati sumus in re extranea. Postea uenit homo benè existimatus sapiens & bonus socius, & nobis dixit, quod confessor imperatoris, qui uocabatur magister Henricus existimabat certò scire facere lapidem: & tunc nos adiuimus illum, & expendidimus benè ducentos coronatos antequam haberemus eius cognitionem, & breuiter magno medio habui societatem cum illo. Ipse ponebat argentum finum cum argento uiuo, postea capiebat

Operatus in sublimi spirituum in aquis fortibus & separatione elementorum.

De cuperosa.

Operatus in oleo oliuarum & sulphure.

piebat sulphur & oleum oliuarum, & simul omnia fundebat super igne, postea coquebat lento igne in pelicano forti ad crassitiẽ duorũ digitorũ obducto cum forti luto, & nos miscebamus seu ducebamus cum fuste, & fortiter incorporauimus totum simul, & nostra materia nunquã uoluit commisceri & componi: & cum benẽ ac satis miscuimus per duos menses, posuimus in una phiala uitrea lutata forti luto, postea desiccauimus, & eam intra cineres calidos posuimus per longum tempus, & faciebamus ignem lentum circa phialam propè collum, & dicebamus quod in xv. diebus aut tribus septimanis mercurius uirtute corporis & sulphuris conuerti debuerat in purum argentum & finum, & post tempus naturæ decoctionis ponebat plumbum in phiala ut illi uidebatur, & omnia fundere faciebat ui ignis: Postea extraximus & affinare fecimus, & tunc debebamus inuenire nostrum argentum multiplicatum ex tertia parte, & in opere illo positæ erant decem marchæ argenti fini in mea parte, & mei socij posuerant. 32. marchas uel plus, ex qua summa nos putabamus habituros. 130. marchas uel plus, & fecimus totum affinare, unde ex 32. marchis alij inuenerunt solummodo. 12. & ego ex meis. x. habui solum. 4. Et propterea

pterea nos desperauimus benè tristes, & omnia reliquimus: & ego qui putabam me habere totum secretum, tantum amisi, ut haberem cognitionem, tam ex argento exposito & expenso quàm ex aliis modis, quadringentos coronatos: & propterea reliqui artem per duos menses, quod nolui amplius audire loquentem ea de re. Nam omnes mei cognati obiurgabant me & ita tormentabant, quod non poteram præ fastidio uel bibere uel comedere, & tam macer deueni & tam deformatus, quod totus mundus putabat me esse hecticum aut ueneno petitum: Sed denuo uires & cor recepi, atque ita animatus fui rursus pergendi in arte, & plus quàm antea accensus millies: Nam deplorabam meum tempus, quod præterierat, etiam agebam supra quinquagesimum octauum annũ, sed non operatus eram in debita uel conuenienti materia: Nã ut dicit Geber Rex artistarũ & artis. Si aliquid metallũ imperfectũ ut Saturnus, Iupiter, Mars, quod misceatur cũ corpore perfecto simpliciter à natura facto, nõ facit citius perfectum: Quia corpora perfecta simpliciter à natura habent formam simplicem perfectam pro eorum benè esse (degere) & tantum solummodo quantum conuenit eius naturæ fortasse ad primum gradum per-

Decem marchę Lunæ redactæ ad iiij.

Desperatus reliquit artem per ij. menses.

fectionis : Et ita ergo sunt tanquam mortua, & non possunt dare uel communicare corporibus imperfectis ex sua perfectione, & hoc duabus rationibus : prima est quia si tantillum donarent suæ perfectionis, remanerent ipsęmet imperfectę: quia non habent maiorem perfectionem quàm eis conueniat: Secunda ratio est, quia ipsa nõ possunt simul misceri illorum principia, ut scriptum est in Trismegisto de Pantera, & in libro Salonis Calid, & in summa Geberi, & in opere naturali, & in magistro Iohanne de Astin, Arnoldo de Villa noua: hę rationes sunt clarè & nominatim positæ: sed ut scriptum est in speculo alchimiæ, & ita in directione errantium quam Plato composuit, & in magno rosario optato, & ab Euclide in suo paruo tractatu, & ita in omnibus ueridicis libris qui ita dicunt, Corpora uulgaria metallica, quæ natura solùm in minera compleuit, sunt mortua, neq; possunt imperfecta perficere : Sed si arte nos capiamus, & ea perficiamus decies, uel duodecies, in tantum tendent illa ad infinitum, quoniam tunc sunt penetrantia, intrantia, tingentia, & plusquàm perfecta, & uiua sunt respectu uulgarium : Et propterea inquit Rasis & Aristoteles in suo lumine, & Daniel in 6. capite sui tractatus,

Nota.

Nostrum

Nostrum aurum completũ, est plus quâm uiuum: & nostrum aurum non est aurum uulgare: similiter nostrum argentum album uel aurum album, quod idem est, non est argentum uulgare: quia sunt uiua nostra, & alia sunt mortua, & nullam habent uim in eis permanentem. Nota.

Atq; ita cognouimus multos operantes cum infinitis receptis, & super amalgamationibus ad album & rubeum, cum omnibus materijs quas poßis imaginari, & omnibus laboribus poßibilibus fieri: Sed nunquam inuenimus nostrum aurum neque argentum multiplicatum, neq; de tertia parte, neque ex dimidio, uel in duplum, neque aliqua ex parte: Et uidi homines sapientes, & cum illis communicaui, & erant expertißimi, sed nunquam inuenimus aliquid inde bonũ, sed omnem amißionem. Amalgamationes & multiplicationes reprobantur.

Item uidi & expertus sum tot albamenta & rubea seu rubificationes sophisticas in omni regione ubi fuimus, ut Romæ, Nauarræ, in Scotia, Turchia, Alexandria, Barbaria, Persia, Isnia, Rhodij, in Gallia, Hispania, terra sancta, & circumuicinis locis. In tota Italia, & Germania, Anglia, & quasi circuendo totum mundum, & nunquam inuenimus homines operantes in recta uia & debita materia, sed in sophisticationibus Nota.

& ma-

& materijs herbalibus, animalibus, uegetabilibus, plantabilibus, petris, mineralibus, salibus, aluminibus, aquis fortibus, distillationibus, separationibus elementorum, sublimationibus, calcinationibus, congelationibus argenti uiui per herbas, in petris, oleis, aquis perfectis, in igne, in uasis extraneissimis: Et nunquam inuenimus aliquos laborantes in materijs debitis. Benè inuenimus in hisce regionibus qui rem sciebāt, sed nunquam potuimus habere ingressum & familiaritatem apud illos, nec uoluerunt unquam mihi declarare. Et ita expendidi in his rebus tam quærendo, quàm eundo, experiendo, quā etiam aliâs, benè centum triginta millia Scutorum, id est, 130000. & uendidi prædium uel locum (une plassa) qui mihi censum seu prouentum dabat annuum octo millia florenorum auri, seu Rhenensium: in tantum ut omnes mei cognati (me debentoient) ob meam magnā paupertatem: & non habebam ferè plus argenti, & iam eram ætate prouectus, nempe. 62. annorum, & amplius etiam aliquod martyrium quod uix ferre possem: & ita uolens relinquere meam patriam & amicos, confidens semper in Dei auxilio eiusque diuina gratia, quæ nunquam deest omnibus bonæ uoluntatis habentibus in eo spem

Summa expen[sarum] autoris [illegible]

Qua ætate nondum sciuit lapidem.

Deus nunquā suos deserit.

ſpem perfectam ac libenter operantibus (nam Deus adiuuat facientes) & bonum quærens, iui Rhodum, timens ne agnoſcerer: & ibi quotidie quærebam ſi poſſem aliquem inuenire qui poſſet me confortare: & ibidem inueni hominem ualde doctum & religioſum, quem dicebant ſcire lapidem facere: illum adiui, & ſub eius cognitione, quã magnis expenſis acquiſiui, & quando habui eius cognitionem, mutuaui ab homine qui cognoſcebat meos cognatos octo millia florenorum, ut cum eo negociarer: & ecce quomodo faciebat, ſumebat aurum purum ac putum, & ſubtiliter contuſum, & argentũ finum ſubtiliter contuſum, & ponebat ſimul cum Mercurij ſublimati quatuor partibus, & omnia ponebat in fimo equino, & relinquebat menſibus undecim, poſtea deſtillabat aquam igne fortiſsimo, & remanebat in fundo uaſis terra quam calcinabamus magno igne, & coquebamus ſeparatim, nempe cinerem in ſuo uaſe, & aquam deſtillatam rurſus deſtillauimus per ſex uices: & omnes feces uel terras quæ in uaſis fundo remanebant congregabamus ſimul cum prima, & ita toties diſtillauimus, ut non amplius feces redderet: & quando congregaueramus omnes terras in uno uaſe, & omnes noſtras aquas

Alia hiſtoria de Sole, Luna, & Mercurio ſublimato.

in alio uase, nos proijciebamus paulatim aquas supra suam terram: sed nunquam ob ullum laborem à nobis captum terra uoluit aquam imbibere, sed semper aqua supernatabat terræ: & nos ita dimisimus septem menses, & nullam uidimus coniunctionem aut aliqualem alterationem: postea ignem maiorẽ fecimus, sed nunquam aliqua coniunctio fiebat: & ita totum fuit amissum, & fuimus per triennium in hac experientia, & expendidi. 500. coronatos.

Libri quibus fuit autor recte instructus.

Monacus ille habebat bonos libros, ut magnum Rogerium & plures alios: & tunc cum ita fuissem, & tantum expendissem, ut desperatus iui lectum & ad studendum & relegendum Arnoldum de Villa noua, magnum librum duorum uerborum compositum ab Achino, & librum nouem uerborum compositum à Maria prophetissa sorore magni prophetæ Mosys, & pluribus alijs libris studui: & ita uidendo & relegendo uidi apertè quod totum quod iam feceram nihil ualebat, & studui per octo annos continuos hisce libris, qui erant boni & pulchri, ac pleni rationum philosophicarum euidentium, & optimarum: & apertè cognoui omnes meas operationes præteritas nihil ualere. & respexi librum omnis ueritatis qui tam benè dicit, natura est esmandè in

Octo annis studuit his ueridicis libris.

dè in sua natura. natura gaudet sua natura. natura naturam superat. natura contre in naturam. & dictus liber me instruxit & confortauit ualdè, & me liberauit à Sophisticis & erraticis operibus: & ita studui antequã negociarer, & mecum argumentabar, & multas noctes duxi insomnes. Cogitabam enim intra meipsum, quod nunquam per hominem possem peruenire ad opus: nam si aliquis sciret, nunquam uellet mihi reuelare: & si nesciret, qua in re mihi deseruiretur? nam cum frequentarim cum alijs & tantum temporis & bonorum consumpserim, ut quasi omnino desperarim, quid ultra sequerer? Et ita studendo, aspiciebam curiosè ubinam libri magis essent concordes: quia benè sciebam tunc quod ueritas & secretum contineretur in libris: quia ubi plures concordant, ibi debemus magis adhærere. cogitabam ergo illam esse ueritatem: quia non possunt uerum dicere quàm una in re. Ita cognoui ueritatem, quia (ut dixi) ubi plures concordant, debet homo notare illic esse ueritatem: quamuis unus nominet uno modo, & alius alio, nihilominus est una met substantia contenta in eorum uerbis diuersis: sed cognoui cautelam esse in diuersitate, & non in concordia: Quod autem hoc uerum sit, ipsi unum so-

Turba Philosophorum autorem docuit.

Doctoris optimus discursus.

Alii unam Materiam.

lùm modum ponebant, quamuis uariis dictis & figuris eum traderent. Quapropter fili mi gratus mihi esse debes, quod pro te uolui laborem sumere hunc librum scribendi, quem in hunc finem composui ne desperares, & ut in nostra scientia plenè docearis, neque decipiaris ut ego. nam ut communi adagio fertur, Bonam doctrinam capit ille qui alienà se corrigit. uel, fœlix quem faciunt aliena pericula cautum. Et per fidem meam credo eos qui scripserunt, ita parabolicè scripserunt & figuratiue in ipsorum libris loquendo de capillis, urinis, sanguine, spermate, stercore, herbis, uegetabilibus, ouis, animalibus, plantis, lapidibus, mineralibus, ut sunt sal, alumen, cuperosa, uitriolum, borax, magnes, & lapides quicunq;, uel aquæ. Credo illis scientiam non multum constitisse, in qua non multum laboris insumpserunt quærendo, imò habuerunt ab aliquo monstrante, & alium non habuêre laborem, quam ut os aperiendo (on aualer) transglutirent eam. Et notari potest, quod facerent & componerent eorũ falsos libros erraticos ex inani gloria, & ex falsissima et damnabili inuidia, aut quod nouiter è cœlo delapsi erant, atq; etiamnum de gloria participabant, uel potius (ut dixi) ex inuidia composuere ex dictis

Autoris ben gnitas.

Adagium.

Materiæ uitandæ in arte: de quibus philosophi locuti sunt, scilicet figuratiue.

dictis rebus extraneis, ut abuterentur & fraudulenter auerterent à uia pauperes studiosos, & inuestigatores huius artis: aut quia sunt nimis crudeles. Nam ego qui tantum laboris & expensarum habui, magna afficior pietate ac misericordia posterorum, non obstante amisione quam sustinui & habui causa falsorum librorum & errantium quos composuerunt, & audeo dicere me non citius scientiam habuisse, ex Sola horum librorum falsorum causa. Ergo amore fraternali uolens succurrere pauperibus inuestigatoribus huius uerissimę artis, scripsi pœnitentiæ librũ, et qui uoluerit mihi credere, credat, quia est eius utilitas, & mihi solum pœna: Et qui mihi credere noluerit, cognoscet & sentiet multas operationes, & ex semet castigabitur, si nolit alieno exemplo cautus esse. Neq; curetis de falsis & deceptoribus chemistis, neque de ijs qui eos sequuntur, quoniam si illos sequimini, nil aliud quàm iacturam facietis, & postquam emunxerint bona è manibus uestris, fruentur uobis & uestra amisione: nam non cessabunt somniare falsas & cautelosas inuentiones, ut uos decipiant: hæc ut expertus dico. Ergo ne illos audiatis: nam omne quod inuenire poteritis, boni fortasse in uestris libris bonis, ipsi

Autoris pietas erga posteros artis.

In Alchemistas falsos inuectio.

uobis auertent & corrumpent suis falsis affirmationibus, & magnis iuramentis, dicentes, (quando nesciunt quid amplius dicant,) ego feci, ita est. Et ego tibi dico, nisi eos fugias, nunquam scies aut cognosces aliquid de arte: Nam quod libri te docēt ex uno latere, illi tibi destruent ex alio cum suis ipsorum iuramentis. Quia per Deum, egomet quando sciui hanc scientiam quam sciui mediantibus bonis libris, et antequam explicassem, & in executionem posuissem, sciui per libros biennio antequā unquam fecerim. Vt uobis antea dixi, cum uolui incipere operari quibusdam occasionibus, ueniebant ad me isti deceptores, latrones, maledicti, pandables, detestabiles, & falsarij suæ fidei, sermonis, ac iuramentorum, & dicebant mendacia, & me diuertebant á bona opinione & operatione, ubi boni libri me posuerant: & iurarunt aliquando de aliquibus rebus, eas esse ueras, quas sciebam contrarium esse ex operatione. Nam in meis stultitijs & falsis operationibus benè eram expertus: Et ita nunquam potui peruenire ad confirmandū meam opinionem & intentionē, quousq; illos dimisi ex toto, & in totum me dedi & incubui studijs continuis magis ac magis in hac materia: Nam quando uult homo discere, debet sapientes

Nota.

sæpe

ſæpe uiſitare, & non deceptores: nam cum ſapientibus poteſt quis diſcere: & ſapientes apud quos poteſt addiſcere, ſunt libri: non obſtante eo quod ueritatem ponant in extraneis nominibus, uerbis, ac parabolis obſcuris: Nam ſciatis quod nunquam aliquis liber declarat ſcientiam in ueris & claris ſeu apertis uerbis, imò per parabolas tacitas, & ſub umbra figurarum, & ſententiarum parabolicarũ: Sed homo prudens debet animaduertere benè ac ſæpe poſsibilitatem ſententiæ, & conſiderare operationes quibus natura utitur in ſuis operibus, (ſumma, omnes libri philoſophorum loquuntur parabolicè: ideò dicta ſua ſunt intelligenda ad poſsibile naturæ, non ad ſenſum uerborum ſimilitudinariè prolatorũ.) Qua de re concludo, & credite mihi ſi uultis, Vt ſinatis omnes Sophiſticationes, & omnes eos qui illis credunt, & fugite ſimul eorum ſocietates: ſinite illorum ſublimationes, coniunctiones, ſeparationes, congelationes, diſtillationes, præparationes, contuſiones, & alias deceptiones: & ſileant qui dicunt eſſe aliam tincturam quàm noſtrã, nec ueram nec apparentem, nec quę ueniat ad aliquam utilitatem: & (tayſſent) faceſſant illi qui aiunt & ſermocinantur eſſe aliud ſulphur quàm noſtrũ, quod eſt occul-

Sint ſapientes a quibus eſt diſcendum.

Concluſio autoris notanda & exhortatio

Nota.

tatum in uentre magnesiæ: & se tayssent illi qui uolunt trahere & qui uolunt creare aliud argentũ uiuũ quã ex fermento aut seruitore rubeo (id est ex auro) & aliam aquã quàm nostram permanentem, quæ nullo modo coniungitur quàm suæ naturæ, nec mollit aut dissoluit rem quamuis præter suam propriam unitatem suæ naturæ metallicæ. Nam non est aliud acetum quàm nostrum, nec aliud regimẽ quàm nostrum, nec alij colores quàm nostri, nec alia sublimatio quàm nostra, nec alia dissolutio quã nostra, nec alia putrefactio quàm nostra, nec alia materia quàm nostra: Et finite alumen, sal, uitriolum, & omnia alia atramenta, boracem, aquas fortes, herbas qualescunq;, animalia, bestias, & quæ ab illis exire possunt, & capillos, sanguinem, urinas, spermata, carnem, oua, & omnes lapides minerales: & relinquite omnia metalla Sculletz, quamuis duo ipsorum sint principium, seu introitus scientiæ, uel lapidis. Nam nostra materia ex dictis omnium philosophorum debet componi ex argento uiuo: & argentum uiuum nil aliud est quàm metallum, uel, argentum uiuum non est in alia re quã in metallis, ut apparet ex Gebero, ex magno thesauro, ex Aristotele in libro Meteororũ, ex libro omnis ueritatis, ex Platone, Morieno,

Quæ sint relinquenda in opere philosophico.

Morieno, Haly, Calid, Maria, Auicenna, Constantino, Alexandro, Eboal, Bendegit, Gesit, Serapione, magistro Arnoldo de Villa noua, per librũ uocatum Lilium, per Danielem Græcum, per Thomam Aquinatem in suo breuiloquio, per Albertum Magnum in suo tramite, per abbreuiationem Scoti, per Epistolam Senecæ scriptam ad Aros regem Arabiæ & Tuneti, per Euclidem in sexto capite retractationis, & per totam Philosophiam ex 4. libro meteororum, ubi apertè sine ulla parabola dicunt, metalla nil aliud esse quàm argentum uiuum congelatum per modum decoctionis naturalis in uenis terræ longo tempore productum: & nihilominus non sunt nostri lapides illa, dum sunt in forma metallica: quoniam imposibile est materiam unam habere duas formas. quomodo ergo uolumus nos illa esse lapidem, qui est digna forma media inter metalla & mercurium, si primo hęc materia metallica, non illi adimatur & corrumpatur? Et ideò dicunt Aristoteles & Democritus in libris Philosophiæ, & in tertio libro metheororum. Exultent ut uolunt Alchimistæ, quia nunquam mutabunt formam metallorum, uel metalla, nisi primò ea reducant ad materiam primam. Et ita dicunt omnes libri qui

Nota.

Metalla reducenda ad primam materiam.

loquuntur de materia metallica: sed ut hu-ius materiæ intellectio habeatur, & ut scia-tur quid sit transmutare & reducere metal-la ad primam eorum materiam, scire debe-tis, primam materiam alicuius rei, esse rem illam ex qua fit aliqua forma aut res ali-qua: sicut prima materia uiri aut mulieris est sperma uiri & mulieris: Sed ignari, falsò putant se dictum illud intelligere, nempe quod reducere ad primam materiam uel naturam sit, facere separationem quatuor elementorum, id est, reducere rem aut me-talla in 4. elementa: quoniam quatuor ele-menta sunt prima materia rerum creata-rum. Et sciatis quod uerum dicunt, nempe 4. elementa esse primam materiam primæ materiæ. Sunt enim 4. elementa res ex qua facta sunt sulphur & argentum uiuum, quæ duo sunt prima materia omnium me-tallorũ, non tamen quod quatuor elemen-ta sint propriè prima materia metallorum: Et ratio est talis, quia quatuor elemẽta tam bona sunt ad faciendum hominem aut asi-num, quàm ad faciendum metalla: Nam oporteret aut oportet primo ut quatuor elementa fiant ex nostro uiuo argento & sulphure, antequam ista elementa dici pos-sent prima materia metallorum: Exemplũ, quando homo componitur, non compo-

Materia prima quæ.

Reprobatur opinio de reductione ad quatuor elementa.

nitur

nitur ex quatuor elementis quę adhuc sunt quatuor elementa: sed natura iam ea transmutauit, ut faciat sperma, & iam fecit sperma: Et ita quatuor elementa non possunt appellari prima materia metallorum, magis quâm aliarum rerum: ergo (in summa) de quatuor elementis dici non potest ea esse primam materiam metallorum potius quàm alterius rei: nisi primo illa quatuor elementa transmutentur à forma metallorum & fiant mercurius & sulfur, uel, nisi transmutentur in materiam primam metallorũ & fiant argentũ uiuum & sulfur. Nam tunc illa est propria & prima metallorum materia: Nam natura postea ex illa & ex ista materia faciet quod uolet: id est ex Mercurio & sulfure faciat quid intẽderit facere. istud erit tunc forma metallica. Sed antea, durante quod quatuor erant elementa, & quod nondum erant facta Mercurius & sulfur, natura potuit facere ex illis quatuor elemẽtis bouem, aut herbam, aut hominẽ, aliquidúe aliud pro beneplacito suo. Et ideò clarè apparet, quod quatuor elementa quæ dicuntignari, non sunt prima metallorum materia: imò sulfur & Mercurius appellantur propria & uera ac immediata prima materia metallorum, & de illorum essentia.

Volo

Volo adhuc efficacibus rationibus & necessarijs probare quatuor elementa non esse primam metallorum materiam. Nam si hoc uerum esset, sequeretur quod homines & metalla, herbæ & plantæ, brutaque animalia essent unum & idem, & nullis differentijs distinguerentur. Nam metalla, si id uerum foret, non sunt aliud quàm quatuor elementa, & ita omnia essent idem, quod esset maximum inconueniens: Quapropter clarè apparet, quod quatuor elementa, dum ita morantur & sunt, non sunt prima materia metallorum.

Rursus ita uolo confirmare meam sententiam, nam si illud uerum esset, nempe quod quatuor elementa essent prima materia metallorum, sequeretur, quod ex metallis possent homines fieri, quia homines fiunt ex quatuor elementis ijsdem. & pariter sequeretur, quod ex una re posset quiduis fieri, & ita simile non generaret sibi simile, non magis quàm metalla: nam omne istud non aliud esset quâm quatuor elementa: &, ut scitis, omnia facta sunt & fiunt ex quatuor elementis: ita non opus esset generatione, neque proprijs seminibus: nam nullum esset proprium semen, quia omnia essent facta ex quatuor elementis, & omnia essent una substantia. Exemplum: uiri sperma

ma seorsim positum, & illud mulieris seorsim, non sunt prima materia infantis: quia natura potest aliud inde facere dum ita sunt, ut si conuerteret in materiam uermi- nosam: sed quando simul sunt coniuncta & unita in uirtute, ita ut unum habeat in se uirtutem alterius, & aliud similiter suam habet: ergo natura non potest aliud facere quàm formam illam infantis, quoniam est finis illius materiæ, & non alius. atq; ita, sicut spermata unita sunt prima materia fœtus, spermata uerò separata, non: ita in arte nostra, prima materia lapidis sunt spermata unita & coniuncta. Ergo unio ista uocatur prima materia infantis: Quia postquã ista materia prima facta est, & natura operatur in illa curiose, non potest aliud facere quàm formam infantis: non enim potest natura dare aliam formam materiæ in qua operatur, quàm rem cui materia illa inclinatur & disposita est. Ita ergo ista spermatica unione ita facta, & natura operans, nõ potest aliam formam donare quàm formam humanam: quia materia illa non est ad aliam formam disposita quàm ad humanam. do crassum exemplum pro ignaris. Quando aliquis uult aliquod iter conficere, quando est in porta suæ domus, & habet tria diuersa itinera, & se non ponit in uerum

uerum iter, sed aliud arripit, deuiat : Sed quando est semel in semita quæ dirigitur ad proprium iter quo tendit, faciat postea quicquid uult, quia continuando rectum illud iter, perueniet ad locū quo tendebat, & ire uolebat. Quapropter clarissimè apparet, quod quæq; res habet suam propriam uiam & suam propriam materiam ex qua facta est: non quod quæq; res fiat ex qualibet, nam fit determinatum ex determinato. Item si hoc non esset, non opus esset cœlo uel Planetis: nam quatuor elementa nunquam mutarunt eorum naturam, imò non esset quotidie quàm una materia, quod erroneum est dicere. Constat item clarè atq; euidenti experientia, quod res quæcunq; facta habet rem similem è qua illa fiat naturaliter, & non potest fieri ex alia re, nec aliter: ut ad faciendum equum, opus est natura equina mutata in spermata unita ex duabus naturis contrarijs, existentibus nihilominus ex genere equino : Et ita ad hominem faciendum, natura non capit naturam seu semen equinum uel herbale, quia quęlibet res habet suum proprium & principale semen, ex quo sua radix fit & multiplicatur ex eadem, & non aliter. Hoc rursus apparet, quia in mundi creatione, Deus fecit marem, & ex eo postea fœminam, & eis

dixit,

dixit, facite ex uestra substantia uobis simi-
les: postmodũ Deus ita dixit de alijs rebus
quas condiderat aut crearat. Quælibet res
portet suum fructum, & ex illo multiplice-
tur, & fiat illi simile: Quia si ex una re pos-
sunt omnia fieri, Deus creator noster non
fecisset tot res ut fecit: sed uaria & diuersa
fecit in hunc finem, ut quælibet sibi similem
pareret. Similiter Deus in Biblijs nonne di-
xit Noë ante diluuium, fac arcam longam
& latam ac profundam, postea pone in-
tus ex omni specie creaturarum unum par,
id est, marẽ & fœminam, in hunc finem, ut
cum mea ira transierit, quælibet res multi-
plicet iuxta suum genus, & non aliter. Et
ideò clarè uides, rem quamlibet requirere
sibi similẽ, ut fiat aut generetur: quoniam
ita Deus creauit radices diuersarum crea-
turarum in hunc finem, ut quæuis multi-
plicaret iuxta suam substantiam. Hoc item
probabo ex authoritate philosophorum:
nam Ioannes Scotus apertè dicit, quod ar-
gentum uiuum (Mercurius uolatilis cor-
poris, quod scis, congelabile seu coagula-
bile, & argentum uiuum sulfureum (cor-
pus quod scis) hæc sint prima materia me-
tallorũ. Item, dictum est in turba per unum
philosophum qui uocatur Noscius, qui
fuit Rex Albaniæ & Atriæ, qui ita dixit,

Scitote,

Omne simile generat sibi simile.

Scitote, quod ex homine nō prouenit aliud quâm homo. in uolatilibus non prouenit quâm uolatile: nec ex brutis bestijs prouenit quâm brutum. Et scitote quod natura augetur in sua propria specie & natura, & non in alia. Item dixit magister Ioannes de Mon. in suo testamento, Quælibet arbor fert suum fructum: Nam pyrus pyra profert, & sic de alijs: & ita metallum facit aut multiplicat metallum, & non aliam rem.

Geber est Sophisticus.

Item dicit Geber in sua summa (qui Geber debitè loquitur in locis aliquot, quamuis totus eius liber sit Sophisticus & erroneus) sic, Nos omnia experti sumus, & ita ratione speculati sumus, sed nescimus inuenire rem perseuerantem in igne, aut stantem in

Nota de natura Mercurij.

prælio ignis, quàm solam humiditatem uiscosam, quæ est radix omnium metallorū: Nam omnes aliæ humiditates ex igne leuiter abeunt & euaporant, & unum elementum separatur ab alio, ut aqua ab igne: nam una pars in fumum abit & in aquam, & alia in terra manet in fundo uasis: & ita separantur quatuor elementa ab omnibus rebus, quia non sunt benè unita in homogeneitate, & facto minimo igne, atq; re aliqua imposita, consumabuntur, & separabuntur ab eorum naturali compositione. sed humiditas uiscosa, id est Mercurius

nunquam

nunquam consumetur aut separabitur à sua terra, aut ab alio suo elemento: nam aut totum remanet in igne, aut totum fugit: & nulla res quæcunque illa sit est huic similis, quæ non diminuitur ex suo pondere: & propterea concludit Geber ex his dictis, quod ad faciendum hunc præciosum lapidem, non opus sit alia re quàm sola substantia Mercurij per artem optimè mundificati, penetrantis, tingentis, & morantis in ignis examine, nec separabilis in diuersas partes, sed solum semper tenacis solius essentiæ mercurialis: tunc, inquit ipse, est res se coniungens in profundo radicali metallorum, & corrumpens eorum formam imperfectam, in eis aliam formam introducens secundum uirtutem Elixiris, aut medicinæ tingentis secundum suum colorem. Item dicit Aros magnus rex, qui fuit doctissimus & philosophus, Nostra medicina facta est ex duabus rebus unius essentiæ, id est, ex unione mercuriali fixa & non fixa, spirituali & corporali, frigida & sicca, calida & humida: neque ex alia re fieri potest: Quia ingenium artis nõ introducit aliquid noui, in radice naturali: Sed natura artis auxilio debito, & ars adiuta â natura, in eo complent suum desiderium in omni intentione boni operantis, Item sic dicit Morie-

Aros rex.

Nota ex quibus lapis componatur.

nus, le ſcayge romain mesles, & proijce medicinam ſuper corpora diminuta à perfectione. Et idem dicit, hoc nil aliud eſſe quã argentum uiuum per artem exaltatum ſuper argentum uiuum imperfectum: & ita oſtendit ibi claré, hoc nihil aliud eſſe, quàm argentum uiuum unitum & fixum (é fixo corpore minera ueniens.) Item dixit Arnoldus, omnis tua intentio ſit in digerendo & coquendo ſubſtantiam mercurialẽ: nam ſecundum eius dignitatem ipſa etiam dignificabit corpora, quæ nil aliud ſunt quàm ſubſtantia mercurialis decocta à natura: Probari poſſet infinitis rationibus, quòd ſolus Mercurius durabilis uel permanens eſt ſola materia proxima & prima metallorum, & non quod quatuor elementa ſint prima materia. Hoc autem probare uolui, ut os obturarem multitudini errantium, qui ut ipſorummet errores confirmẽt, affirmant quatuor elementa eſſe primam materiam metallorũ, extracta tamen á metallis. Item ſic poſſet argui & opponi contra nos & contra omnes meas reſponſiones, dicendo, quod ipſi reducunt quatuor elementa in Mercuriũ & ſulphur, qui ſunt prima materia metallorum: & ita melius eſſet reducta eſſe ad illam ſubtilitatem & ſimplicitatem quatuor elementorum, quàm eſſe ſolum

Prima materia metallorum quæ ſit.

Reſpondet tacitis obiectis.

solum reducta in eorum primam proximamq; materiam, id est, in solam substantiam mercurialem: Et probare uolo hoc si esset errorem ac falsum, ob multas rationes necessarias, ut omnino finem imponam eorum malæ intentioni: & ita ne dicatur me corrigere alios ex mea propria uoluntate, sed per rationes euidentes: Vnde tibi dico, quod si istud esset uerum, non opus esset, aliqua natura, quia nostra ars faceret sperma omnium rerum, & faceret homines ex quatuor elementis solûm sine natura, & sine alteratione ars faceret compositiones, id quod est contra omnem rectum sensum & intellectum: Quia natura producit & produxit materiam, cui postea ars auxiliatur. Sequeretur ergò quod medicus sua arte & herbis faceret reuiuiscere mortuum, aut quod morientem sanaret: quod est contra dicta autorum bonorum: ubi dicunt, Medicina est solummodo naturæ auxiliatrix: Quia si natura non esset, medicina non posset suum effectū habere: nam laxatiuum positum in corpore humano mortuo non laxat, quoniam non dirigitur à natura: quia ut dicit Hippocrates in suis aphorismis, Ars præsupponit aliquid per solam naturam creatam, & tunc illi auxiliatur, & ars auxiliatur naturæ, & natura arti. ita Hi-

pocrates clarè demonstrat, qui fuit in suis principiis naturalibus plus diuinus quàm humanus, & tanquam angelus spiritualis sine corpore. Apparet ergo artem in operando habere unam materiam quæ antea fuit à natura facta, & non ab arte: Nam si fuisset ab arte, natura nō requireretur, quia iam illud esset suum opus, & ita illa nil adhiberet noui pro suo opere: ita clarè apparet, quod natura ex se ipsa facit materias & naturas spermaticas & eas creat: & postea ars desuper laborans uel operans, coniungit simul, sequens finem & intentionē uirtutis spermaticæ naturalis, super qua ars operatur, & non aliter. Item alia ratione probare uolo, quia quando dictus mercurius & sulphur essent reducta (si possibile foret) ad quatuor elementa, nonne opus esset, quod post ista quatuor elementa iterū reducerentur in mercurium & sulphur, quæ sunt prima materia metallorum, ut iam dixi & probaui? & ita oporteret te primo reducere corpora perfecta metallica in argentum uiuum & in sulphur: & eadem argentum uiuum & sulphur reducere in quatuor elementa: & postea opus esset ut illa quatuor elementa reduceres in argentum uiuum & sulphur, in illum finem ut posses inde facere naturam metallicam: quod facere

Nota.

Alia ratio probans non debere reduci corpora ad quatuor elementa.

cere

cere esset stultum, & meo iudicio impossibile: Nam posteaquam totum nil aliud est quâm eadem res & eadem substantia, & quod nil acquirit noui uel nouæ substantię aut materiæ per has reductiones, sed solummodo nil est aut acquirit semper quàm quod semper fuit, qua in re ergo seruiret facere tot reductiones? quandoquidem tantum substantiæ habebant dicti mercurius & sulphur, dum essent in forma spermatis aut in forma Mercurij & sulfuris, ut sunt postquam reducta sunt in quatuor elementa, & nil acquirunt uel in uirtute, uel in pondere, nec in qualitate aut quantitate, quoniam nulla est materia nouiter coniuncta, quæ dignificet uel exaltare posit: imò istud est semper eadem materia hinc inde ducta sine ulla additione: & ita tantum ualet in una forma quâm in alia. Et si nobis quis opponeret de nostro lapide, dicens, pariter quod nil acquirat, respondeo quod sic: quia nos reducimus ex corpore metallico in sperma in eum finem, ut per eam reductionem fiat coniunctio nouæ materiæ eiusdem radicis, & sine ista reductione non potest fieri lapis, sed est additio materiæ, & ita hæ duæ materiæ inuicem sibi auxiliantur, & quælibet dat suam uirtutem alteri uicissim, ut fiat dignior materia quâm esset Nota.

antea dum utraq; separata & sponte esset: & ita clarè apparet nostram reductionem requiri, quia per illam materiæ capiunt nouam formam & uirtutem, & ponitur noua materia: sed in talibus reductionibus quas illi dicunt, non ponitur ulterius aliqua materia noua, quicquid deniq; agant: Nam quod faciunt, non est aliud quàm circulare materiam unam sine aliqua innouatione, nec exaltatione per aliquam acquisitionem materię aut formæ. Et ita clarè apparet eorum reductiones nil aliud esse quàm stultas imaginationes, & erroneas expensas, & tempus amissum. atq; ita (ut in summa dicam) habes rationem cur debeat fieri reductio corporum in primam materiam, id est, mercurium, ut fiat additio & coniunctio nouæ materiæ unius essentiæ: sine qua reductione, talis coniunctio non potest fieri, &c. Item probabo per Magistrum Gulielmum Parisiensem qui fuit doctissimus & sapiens in ista arte & scientia, & ad propositum benè tractat, & sic inquit: in infantis seu hominis creatione adest primo commixtio duorum spermatum differentium in qualitate: quia alterum est frigidum & humidum (respectiuè) & aliud calidum & siccum: in uase maternali seu matrice adest calor matris digerens & miscens uirtutes duorum

Requisita in hominis generatione.

duorum

duorum ſpermatũ, & augmentans eorum uirtutem ex ſua communi humiditate, quę eſt de ſubſtantia ex qua eſt primum ſperma fœmineum, augmentando, incraſſando, & actuando uirtutem actiuam ſpermatis maſculini, & nutrit quouſq; perfectè facta ſit mediocris ſubſtantia, retinens naturã duorum omnino ſine diminutione aut ſuperfluitate: & ut ipſe expreſsè inquit, Natura creat ſpermata, non ars: quia neſciret, nec poſſet. Sed poſtquam ſunt creata, ars miſcet in uentre maternali. quia ut ipſe dicit, Eſt ars auxilians naturæ in miſcẽdo, & concoquendo: ut ſe calidè tenere, non multum ſe mouere, bonas res edere & facilis coctionis: Sed ars nil aliud facit quâm auxiliari naturę in ſuis negocijs uel operibus iam per eam factis: poſtea ſic inquit, Similiter noſtra ars neſciret ſpermata creare ex ſe ſola: ſed quando natura creauit, tunc ars cum uirtute naturali quæ intus eſt in materijs ſpermaticis iam creatis coniungit tanquam miniſtra naturæ: Nam clarum eſt & uerum, quod ars nullam adhibet formam, nec materiam, aut uirtutem; ſed tantum auxiliatur ut fiat & compleatur quod adeſt, & quod nondum perfectum eſt: ſed tamen natura adeſt, & ars illi auxiliatur. Hinc clarè apparet per hunc notabilem autorem Artis opus.

& ſapientem M. Gulielmũ Parienſem, qui erat caput ſtudentium Pariſijs, quod natura creat materias & ſpermata, & non ars: ſed quando ſunt creata, ars facit & coniungit cum uirtute naturali, quę eſt cauſa principalis, & ars eſt cauſa ſecunda illarum rerum: Et ita benè notate, quod ars nihil facit ſine natura. Nam ſatis ſciet homo ſeminare granum & terram colere, ſed niſi prius habeat materiam unam quam natura creauerit, nempe granũ tritici, iam agricola nihil proficiet: & ita ars ſumit auxilium â natura, & natura ab arte. Quas obres apparet apertè, quod ars neſciret creare ſpermata, nec materias metallorum: Sed natura creat, & poſtea ars adminiſtrat: & in hoc uidere potes quod homo neq; eius ars ſciret reducere quatuor elementa in formã ſpermaticam reductiuam nec alteratiuam, ad eum finem tendens, nec diſponens ad talem receptiuam nec alteratiuam actionem & paſsionē aut formam. Et ſi arguas, quod philoſophi dicant, in opere noſtro eſſe neceſſaria quatuor elementa: reſpondeo, eos intelligere, quod in duobus ſpermatibus ſunt quatuor qualitates quatuor elementorum, id eſt, calorem & ſiccitatem in argento uiuo maturo, quod etiam ſperma maſculinum: & frigidum & humidum in argento

Nota.

Quomodo in opere noſtro ſunt quatuor elementa.

In ſpermate maſculino eſt caliditas & ſiccitas.

In fœminino, uidelicet in Mercurio crudo & imperfecto eſt frigiditas & humiditas.

argento uiuo crudo & imperfecto, quantum ad eius finem, qui est terra & aqua in spermate fœminino: non tamen quod actu sint quatuor res elementales separatæ, ut sunt quatuor elementa uisibilia quia non essent amplius prima metallorum materia, quâm hominum: neq; ita ars humana posset alterare illa ut faceret duo spermata metallica quæ sunt prima materia metallorũ, ut expressè ac clarè dicit Calisalon (uel Calid) Rex Arabiæ hoc modo, scitote quod in initio nostri operis non habemus negocium quâm in duabus materijs solis, & nõ requirũtur plus quâm duo solum, nec tanguntur plura quâm duo, nec intrant plus quâm duo, neq; initio, neq; in medio, uel in fine. Sed in his duobus quatuor qualitates insunt uirtute. Nam in spermate maturo tanquã in digniori, duo digniora elementa insunt in qualitate, quæ sunt ignis & aër, & in alio spermate crudo & imperfecto in sua natura sunt duæ aliæ qualitates, & duo alia elementa imperfecta & minus digna, nempe aqua & terra: Et ita per illum Calid potes uidere & cognoscere clarè, quod in ista arte non sit aliud quâm duæ naturæ spermaticæ eiusdem radicis & substantiæ & essentiæ, id est, solius substantiæ mercurialis uiscosæ & siccæ, quæ non iungitur alicui rei

Opus philosophicum conficitur solum ex duabus substantijs mercurialibus in primo medio, & fine.

E quibus lapis fiat.

huius mundi quàm corpori suo. Hoc idem clarè dicit Morienes in suo libro, dicens, fac durum aquatile, ut aqua coniungatur illi: & pone ignem in aqua frigida, id est, coniunge sperma masculinum, quod non est aliud quàm Mercurius coctus & maturus, qui in se tenet in digestione elementũ ignis, & miscet intus cum spermate fœminino, id est cum uiua aqua. Et in hunc propositum dicit Ysindrius in Turba, miscete aquam cum aqua, quoniam tunc est una spermatica unio, & est in potentia propinquissima recipiendi & perueniendi ad perfectionem nobilissimi lapidis. Idem in libro omnis ueritatis dicit in his fallacijs, Ponite hominem rubeum cum fœmina alba in cubiculo rotundo circumdato calefacto cum paruo igne continuo, & tam diu relinque quoad fiat coniunctio (aliàs conuersio) hominis rubei in aquam philosophalem, non uulgarem, id est in aquam habentem quicquid requiritur eius perfectioni, quę tunc est prima materia lapidis, & non aliter: nam habet in se naturam fixi qui eam fixat, & naturam spiritualem quæ eam exaltat faciendo eam spiritualem & dignam substantiam lapidis nobilissimi: & breuiter loquendo, omnes philosophi, si quis eos benè intelligat, concordant simul: sed qui sunt ignari, & non

Spermata duo mixta, sunt prima lapidis materia.

Omnes philosophi sunt concordes intelligenti.

& non ſunt filij ſcientiæ, inueniunt eos differentes. Nunc locutus ſum & probaui primam ſubſtantiam & materiam metallorũ, & dixi rem illam eſſe Mercuriũ & ſulphur: ſed in eum finem ut progrediamur in noſtro libro, & poſsimus prodeſſe lectoribus & auditoribus, & ne hunc locum pertranſeant ſine cognitione Mercurij & ſulfuris, quidnã ſint, & quomodo in terra creentur metalla & eorum differentiæ, per rationes & autoritates meorum magiſtrorum philoſophorum, à quibus ſciui plenè nobiliſsimam & digniſsimam ſcientiam, diuina uoluntate Dei patris & creatoris, in cuius auxilio incipiam tertiam mei libri partem.

Tertia pars

LIBRI.



T ERGO HABEAtur intelligentia huius materię, oportet primò ſcire, quod Deus initio fecit materiam confuſam & inordinatã, quæ uocabatur chaos, &

erat

erat plena (Dei creatoris uoluntate) pluribus formis & materijs, è qua massa eduxit quatuor elementa: è quibus postea plures bestias fecit, & uolatilia, & diuersas creaturas, illas miscendo. nam partem creaturarũ fecit intellectualem uel intellectiuam, aliam sensitiuam, aliam uegetatiuam, aliam mineralem. Et intellectiuæ creaturæ quantum ad corpus sunt factæ ex quatuor elementis, sed ignis plus dominatur in re illa composita, quàm alia tria elementa. Sensitiuę sunt createę pariter ex quatuor elementis, sed ignis & aër plus habent dominij quã alia duo elementa, sed ignis est remißsior, quia aër adest figuratiuè in illis rebus, ut sunt bestiæ brutæ, ut equi, asini, canes, aues, & omnes sensitiuæ creaturæ appellatæ. aliæ etiam sunt creatæ ex quatuor elemẽtis, quæ uocantur uegetatiuæ creaturæ, quæ crescunt & augentur & uitam habent, sed nullum habent sensum, & compositæ sunt ex aëre & aqua quæ dominantur in illis, sed tamen ignis demißsior est uel remißsior à sua dignitate ob aquam, & aqua ob subtilem substantiam terrestrem uaporosam. Postea sunt mineralia creata ex terra & aqua: sed dignitas aquæ est magis terrestris quàm aquatica, & in suis mineralibus habet diuersas formas, & nunquam possunt

multi-

multiplicari nisi reducantur ad eorum primam materiam. Aliæ creaturæ ante dictæ habent eorum semina in quibus est tota eorum uirtus multiplicatiua & omnis perfectio finalis rei compositæ: Sed materia metallica fit ex solo Mercurio frigido & humido crudo: sed, ut dixi, in omnibus rebus sunt quatuor elementa: ita etiã in Mercurio qui extrahitur de uenis terræ insunt quatuor elementa, nempe calidum & humidũ, frigidũ & siccum: sed duo dominantur, nempe frigidum & humidum: & calidum & siccum sunt subacta, ita quod calore motus cœlestis calor potest esse totus circa terram intra uenas aut mineras ex continuo calore motus cœlestis, qui ita paruus est, ut ferè sit imperceptibilis, et est cõtinuus. nam præsupposita nocte, calor naturalis non desinit esse: nam calor ille non uenit à Sole ut aliqui stulti uolunt, sed prouenit à reflexione ac reuerberatione sphæræ ignis, qui aërem circumdat, & ita motu continuo corporum cœlestium qui faciunt calorem continuum tam lentum ut uix percipi possit, sed solùm uix imaginari. deniq; si Sol esset causa caloris & uirtutis mineralis ut inquit magister Raymundus Lullius & Aristoteles, etiam adesset quotidie calor continuus, quia terra est circumdata à Sole die ac nocte:

Materia metallica fit ex solo Mercurio crudo frigido & humido a dominio.

nocte: sed ista opinio, quicquid dicant Lullius uel Aristoteles, est falsa et erronea: Quia Sol non est calidus uel frigidus, sed suo motu naturaliter calfacit, ut etiam alia astra cum sphæra ignis, qui naturaliter est ita calidus. Ergò talis calor ductus ex motu corporum cœlestium it continuè in uenas terræ, nõ quod illas calefaciat ut putant ignari aliqui dicentes mineras calidas: quia si essent calidæ aliquo paruo calore agente uel

Nota. actuante, natura ibi non poneret decem annos in coquendo Mercurio ad perfectionem auri, ad quam ponit plus quàm mille annos (alibi 6000.) ut clarum est, quia terra est frigida & sicca, & mineræ sunt in centro terræ: opus esset ergo ut antequam calor transiret ad mineras, ut illæ sentirent & haberent realiter calorẽ quantumcunq; paruum, ut, inquam hîc in aëre esset calor excessiuus nos ferè interficiens: Nam opus esset ut ille calor pertrãsiret aërem & aquã, ut realiter pertingeret ad loca mineralia: & ita opus esset nos præ calore mori. Sed uideamus quomodo naturaliter fiunt metalla, quia componuntur ex quatuor elementis, ut Mercurius, & quando elementa mouentur, calfaciunt mercuriũ, & Mercurius hanc motionem per naturalem calorem, & ita ignis qui intus est in Mercurio, & aëre

mouentur

mouentur & excitãtur paulatim, quia sunt digniora elementa quàm sint aqua uel terra Mercurij: Sed tamen frigus & humidum dominantur in Mercurio, sed quia calor & siccitas sunt digniora elementa, uolunt uincere alia, nempe frigiditatem & humiditatem quæ dominantur in Mercurio, & capiunt motum ignis & caloris motuum corporum cœlestium, & ita mouentur etiam quatuor elementa Mercurij, id est eius qualitates, & per longum tempus commouentur: & primò siccitas Mercurij uult uincere unum gradum suæ humiditatis, & fit plumbũ: postea uincet etiam unum alium gradum, & istud fit stannum: postea calor Mercurij consumet plus adhuc suæ humiditatis & frigoris, & fit Luna: postea calor in eo magis dominatur, & fit æs, & postea fit ferrũ. Et postea calor dominatur etiam plus quàm antea, & fit aurum perfectum: Et ita duę qualitates Mercurij uictę sunt antequam fiat aurum perfectum. Ergo duæ illæ qualitates quæ antea solebant succumbere ob frigus & humidum, nunc consumunt alias, & calor & siccitas dominantur: & hæ duæ qualitates quæ primo succubuerant, nempe calor & siccitas, cum incipiunt se excitare, illud est sulphur: & frigiditas & humiditas eiusdẽ Mercurij est Mercurius: Metallorum generatio.

& ita

Quod in Mercurio est suum sulfur, & hoc sulfur non est nisi calidum & siccũ dicti Mercurii & frigiditas & humiditas Mercurij dicitur a physicis Mercurius.

& ita oportet intelligere, quod sulphur nõ est res remota ab argento uiuo, nec ab eo separata, sed est solum ille calor & siccitas quę nõ dominantur ob frigus & humiditatem mercurij, sed postea dominantur & digerunt alias duas qualitates nempe frigiditatem & humiditatem, & imprimunt suas uires: & per hos diuersos gradus decoctionis fiunt diuersitates metallorum. Ex experientia uidebis plumbum ex longa ignis continuatione fieri uolatile: nam duę huius qualitates nempe frigidum & humidum Mercurij nondum fuerunt alteratæ à suis contrarijs qualitatibus, quæ nondum dominantur. nam si dominarentur nõ fugerent ullo modo uel ullo igne, ut faciunt: nam Mercurius esset purus ignis tam benè atque ignis, quapropter non fugeret, quia ignis suum simile non pelleret, sed in igne gauderet ut in suo simili, omnia alia metalla fugiunt ignem excepto auro, quia sunt adhuc frigida, & humida, aliqua plus aliqua minus: ita prout sunt magis aut minus retinentia adhuc de frigiditate & humiditate: tunc fugiunt suum cõtrarium, nec possunt ferre, imò euolant, quia quælibet res fugit suum contrarium, & quodlibet suo simili gaudet: ergo sequitur, Solem esse purum ignem in Mercurio: nam ullo nunquã igne

qualicunq;

qualicunq; fugit, cũ alia metalla nequeant ignem ferre, sed unũ plus suffert alio prout sunt magis uicina complexioni ignis: Et ita potes intelligere complexionem metallorum, & eorum mineras: Nam sulphur nil aliud est quàm purus ignis, id est calidum & siccum occultatum in Mercurio, quod longo tempore in minera motu naturali corporum cœlestium mutatum est super alias qualitates Mercurij, nempe frigiditas & humiditas, & eas digerit secundũ gradus & respectum alterationis in diuersis formis metallicis. Et prima forma, ut iam superius dictum est, est plumbum, & est nigrum & minus calidum. Secunda est stannum, tertia est argentum, quarta forma est æs seu Venus, quinta est ferrum, sexta est Sol, quæ est in perfectione omnis materiæ metallicæ, & est purus ignis digestus à sulphure interno existente in Mercurio. Igitur uidere potes clarè, quod sulphur non est res separata â substantia mercurij, neq; est sulphur uulgare: quia si talem materiam nempe sulphur uulgare, uelles dicere materiam esse metallorum, non esset naturæ homogeneæ, quod est contra omnia dicta philosophorum: sed philosophi istud appellarunt sulphur, quia ista qualitas dominans est res inflammabilis, ut sulphur commune, quod

Sulphur quid.

Materia metallorum qualis.

Quare calliditas & siccitas Mercurii uocantur a philosophis sulphur.

est calidum & siccum, ut sulphur Mercurij, & per istam similitudinem homo appellat sulphur, non quod sit sulphur uulgare ut ignari putant, quod non intrat compositionem metallicam, ut dictum est. Et ita clarè uides quod forma metallica nō aliter est naturaliter quàm ex pura substantia mercuriali, non tamen extranea: & hoc clarè dicit Geber in sua summa, ubi dicit, In profundo naturæ Mercurij est sulphur quod coquit & perficit ex longa mora in uenis minerarum terræ. Hoc idem clarè dicunt Morienus & Aros hoc modo, Nostrum sulphur, non est sulphur uulgi, sed sulphur fixum, & non uolat, & est de natura mercuriali, & incombustibile, & non ex alia re: & ita dicunt, Nos facimus sicut natura, Quia natura nō habet in sua minera aliam materiam ut operetur, quàm puram substantiam & formam mercurialem, quia ubi Mercurius, ibi est sulphur: ita pariter in nostro mercurio est sulphur fixum & incombustibile, quod nostrum opus perficit sine alia substantia uel re. Idem similiter dicunt Calid, Morienus, Bendegit, & alij quidam, Natura facit metalla ex puro calore & siccitate superādo frigiditatē & humiditatem mercurij eum alterando, non quod alia essentia illum perficiat. Ita clarè apparet per

Vbi est Mercurius, est suum sulphur fixum & incombustibile.

omnes

omnes philosophos quos longum esset recensere, quod in creatione metallorum interueniat una materia sulphurea: & ita clarè apparet quod intra mercurium quando natura operatur includitur sulphur, quod quidem non dominatur, sed ex motu calorifico dictum sulphur alterat duo alia elementa Mercurij, et natura per illud sulphur in uenis terræ facit secundum gradus alterationis diuersas formas metallorum. Ita pariter nos sequentes naturam, nihil ponimus extranei in nostra materia: Sed nostrum argentum uiuum in profundo illius habet suum sulphur fixum & incombustibile mercuriale, quod tamen non dominatur adhuc, quia humiditas & frigiditas mercurij uolatilis dominatur: sed ex continua actione caloris perseuerantis super eo Mercurio, fixum illud sulphur quod est mixtũ per totum uolatilem mercurium, dominatur & uincit frigiditatem & humiditatem mercurij, & calor & siccitas fixi quæ sunt eius qualitates incipiunt dominari: & secundum gradus huius alterationis mercurij per suum sulphur, fiunt diuersi colores metallici, neq; minus neq; plus quàm natura faciat in mineris. Nam primus color est niger, id est Saturni, secundus est albus, & Iouis: tertius est Lunaris: quartus est Venereus:

nereus: quintus est martialis: sextus est solificus: septimum nos ducimus per gradum plus nostra arte, quàm natura faciat in minera: nam nos facimus etiam uno gradu magis perfectum metallicũ, perfectiorem inquam in rubore sanguineo & ualde alterante: nam cum sit plus quàm perfectum, perficit etiam alia: si enim esset tantummodo perfectus color solum in eo gradu in quo perficit natura, quanam in re nobis seruiret labor temporis huius, nempe septem uel nouem mensium cum dimidio, quibus in decoctione moratus est? nam aliâs nos ita caperemus corpus metallicum prout natura creauit: sed ut uobis dico, & antea monstraui, oportet ut corpus masculinum sit plus quàm perfectum ab arte naturam sequente: ergo ex ea natura plus quàm perfecta, quam acquisiuit ab arte, poterit imperfecta metalla perficere ob suam abundantem & radicantem seu radiosam reductionem in pondere & colore ac substantia, in se, in radice, in principijs, & in uirtute. Et propterea quisquis se tam sapientẽ faciet & uirtuosum, ut putet posse talem perficere qualem petimus, per alias res & extraneas in quibus nullam habet commixtionem in suis radicibus, erit ille ualde aptus & doctus. Nam, ut inquit Turba, ubi

Opus philosophicum quoto tempore coquatur.

ueritas

ueritas eleuatur ab omni falsitate, & ut Arislaus qui fuit gubernator annos 16. totius mundi per suam magnam scientiam, intelligentiam, & sapientiam, qui fuit Græcus, & congregator discipulorum Pythagoræ, ut legitur in cronicis Solomonis: & fuit ille Pythagoras sapientior, post Hermetem, omnibus qui fuerunt in mundo, & legitur quod nunquam sit mentitus, & propterea ille Pythagoras uocatur in aliquibus libris Astronomicis, VERIDICVS: & in suo libro dicitur, Natura ne se esmande se non en sa natura. quomodo ergo uultis emendare esmander nostrā materiam uel naturā aliter quàm in propria sua natura? respicite benè Armenidē quomodo de ea loquitur: Nam dico tibi in ueritate, illum fuisse qui extitit meus primus director mali itineris. Ita ergo apparet, naturam metallicam nō posse emendari quàm in sua natura metallica, & nō in alia re quæcunq; illa sit, & per nostram artem nos complemus in nouem mensibus cum dimidio, id in quo natura poneret millia annorum. Nam primo calor est debilis & ferè nullus: nam maior si adesset, fieret opus naturæ in paruo tēpore, & statim. Sed in nostro opere nos habemus duplicem calorem, nempe calorem sulphuris internum, & calorem ignis

Liber Turbæ ueridicus.

Nota.

Calor in opere, quotuplex.

ignis exteriorem : uno calore alteri auxiliante : non tamen ut aiunt Constantius & Empedocles philosophi dicentes , ignem esse factum ex substantia & materia quæ opus auget: nam si ita esset, sequeretur quod opus ponderaret (pesseroit) magis in dies, quod est plenum erroris. Sed solum ignis est totum opus, tota ars, qua & pro natura sumit auxilium : Nã nos nesciremus aliud facere. Et propterea scitote, quod ignis frigidus nõ alterat uel miscet inuicem, quemadmodum ignis magnus impedit inuicem utriusq; motum : sed facite ignem uaporosum , digerentem seu concoquentem , continuum (non tamen uolantem aut bullientem) subtilem, clausum, clarum, circumdatum, aẹ̈reum , non comburentem, alterantem, penetrantem, & unicum: (seu uniformem.) Et per Deum uerum hîc dixi omnem modũ ignis. Et recapitulate sequentes mea documenta singulatim : quia ignis est totum , ut uidere potes per omnia dicta libri ueritatis omnis. Ad idẽ spectat quod dicit magnus Rogerius , Videte ne faciatis uestram solutionem ante debitum tempus: Quia illa festinatio est causa priuationis coniunctionis : & propterea inquit ille , facite uestrum ignem perseuerantem & debitum en degre naturæ , & amicabilem corporibus,

Ignis in arte ac natura iuuamen, & modus.

Ignis philosophicus.

bus,& concoquentem & pellentem frigus. Ad idem respicit quod dicit Maria prophetissa, Ignis magnus prohibet quo minus fiat coniunctio: Sed post coniunctionem, ignis fortis tingit album in rubeum colore papaueris (pauost) campestris, & croci d' Artoysse. Et ita potes imaginari in te ipso ut egomet feci: Nam posui in igne fimi,& nihil ualuit,& posui in igne carbonum sine ullo medio, & mea materia sublimabatur, & non dissoluebatur: Ideo pones, ut tibi dixi, in igne uaporoso, digerente, continuo, (non tamen uiolento) subtili, circumdato, aëreo, clauso, claro, non comburente, alterante, (circuiant) circulante, penetrante, & unico. Quod si sis talis homo qualis esse debet bonus & uerus studens, intelliges per hæc uerba ignem qualis esse debeat: Et ad hoc idem respicit quod dicit Turba: sine ulla inuidia experientia artificialis ostendet quid erit. Aspice quid dicat Lumen Aristotelis dicentis, Quod Mercurius debet coqui in triplici uase, & hoc est ad euaporandum & conuertendum actiuitatẽ siccitatis ignis in humiditatem uaporosam aëris circumdantis materiam: Facit ad hec quod dicit Geber & Seneca: Faciendo (meur) magnũ ignem, non digeretis nostram materiam; sed eius calor sit alterans & bonus, qui est ut

Ignis fimi reprobatur.

Sublimatio impedit dissolutionem.

Ignis modus.

Igne perficitur aut destruitur opus.

hypocaustum siccum per aërem humectatum uel mitigatum digestumq́ꝫ, & in hoc uolui parumper loqui diligēter, quoniam ignis est qui facit aut impedit & destruit. Nam ut inquiunt Aros & Calid, in toto nostro opere Mercurius & ignis sufficiunt in medio & in fine, sed initio non ita: Nam hic non est noster Mercurius qui benè intelligendus est. Item Morienus dicit, scitote quod laton est rubeus, sed nos nihil proficiemus quousqꝫ fiat rubeus: Et scitote quod aqua tepida eum penetrat & dealbat ut est: & ignis humidus uaporosus facit omnia. Item aspicite quid dicant etiam Bendegit, & magister Ioannes de Mum & Haly dicentes, Intrate uos qui die noctuq́ꝫ expenditis uestras pecunias, consumitis uestra bona, perditis uestrū tempus, rumpitis uestrum intellectum, & studium adhibetis tot subtilitatibus librorum: Ego uobis notifico & scire facio ex pietate & misericordia & in charitate ut pater erga unicum filium, ut dealbetis latonem rubeum sæpe, & tantum dealbate, calefacite, & tepefacite, donec album rubificetur, uel sic, dealbate latonem rubeum per aquas albas calidas & tepidas: Et frangite quot libros habetis, & finite tot regimina, & tot subtilitates, & mihi credite: nam aliter istud non aliud erit quàm ca-

Igne calido & humido aëreo non aqueo coquenda materia.

Nota.

put

put frangere: Nam totum in hoc quod dixi refertur, clarè potes uidere & intelligere, quod istud uerbum est unum ex melioribus uerbis quæ unquam dicta fuerunt. Ita respice quæ dicit codex totius ueritatis, sic inquiens, Dealbate rubeum, postea rubefacite album, quia in hoc est tota ars, initium & finis. Et ego tibi dico, quod nisi nigrefacias, non potes dealbare, quia nigredo est initium albedinis & uerum signum putrefactionis & alterationis, & est signum quod corpus sit penetratum & mortificatum: & meo iudicio dicit Morienus sapiens philosophus Romanus, Nisi putrefiat & nutriatur, non dissoluetur unquam: & nisi dissoluatur, eius aqua non poterit per totum penetrare nec dealbare: Nam opus est mixtione seu ennoyer seu summersione, antequam habeat unionem: & opus est alteratione ante mixtionem: & opus est compositione ante alterationem: Et ita per gradus hæc nostra materia est facta exemplo naturæ in omnibus, & per omnia, siue plus uel minus, ut uidere potes per mea dicta. Sed quia posset aliquis loqui de pondere nostræ materiæ, & ita quomodo natura capiat illud pondus, dico & respondeo, quod in locis minerarum nullum est pondus, ut dixi: Nam pondus est quando sunt

A Cõpositio.
B Alteratio.
C Mixtio.
D Vnio.

De pondere.

duæ uel plures res: sed quando adest solum una res uel una substantia, non respicitur ad pondus, sed pondus est respectu sulphuris quod est in Mercurio: Nam ut dixi, Elementum ignis quod non dominatur Mercurio crudo, est illud quod digerit materiã: Et ideò qui bonus est philosophus, benè scit quomodo elementum ignis est subtilius cæteris, & quomodo potest uincere in quauis compositione tria reliqua elementa: & ita pondus est in prima compositione elementali Mercurij, & nihil plus: Et ideò qui uult naturæ assimilari in omnibus & per omnia sua facta, debet proportionare suum pondus ad illud elementale naturæ, & non aliter: & ad hoc propositum respicite qu͗ d dicat Turba, quia ita dicit, Quando fit confectio uel compositio sine pondere, ueniet mora ob quã irasceris nisi sis sapiens. Item in hunc propositum dicit Abugasar, qui fuit magister Platonis in hac scientia, Potestas terminata super suo resistenti, secundum resistentiam differtur actio agentis in ista materia; quæ sunt aurea uerba propter fundamentum ponderis: Et aliàs epilogaui hoc: & qui non erit clarus, non intelliget tam cito: sed nisi sis clarus, fac tibi exponere aut declarari per unum sapientẽ & discretum hominem: egomet benè exponerem,

Scientia pro pondere.

ponerem, ſed promiſi & uoui Deo, ratio- Autoris ſilentium ubi.
ni, & philoſophis, quod per me nunquam
in uerbis claris & uulgaribus ponam pon-
dus, materiam nec colorem, niſi in uerbis
parabolicis, quas citò habebitis. Et uobis
dico in Deo meo, quod iſta parabola quæ Autoris parabola qualis.
erit poſt hanc tertiam partem mei libri, eſt
tota uera ſine ulla diminutione uel ſuper-
fluitate inſequens morem ſapientum. Ergò
iam locutus ſum in prima parte mei libri de Epilogus.
huius ſcientiæ inuentoribus, deq; his qui
illam habuerunt, & de meo initio uſq; in fi-
nem deceptorum, mearum expenſarum, &
laborum, & quomodo eam habuerim. Et
dico tibi in ueritate, quod natus eram an-
nos 74. antequam eam ſcirem: & ſi ince-
piſſem operari in ſcientia in 17. anno ætatis
meæ. Sed ſi habuiſſem libros quos poſtea Boni libri quantum conferant.
habui, non tantum tardaſſem ad haben-
dam hanc ſcientiam: nam non alia cauſa
tardaui, quàm ob defectum bonorum li-
brorum, quos nondum habebam, nam ſo-
lummodo habebam falſas receptas & fal-
ſos libros, nec communicaui niſi cum igna-
ris, deceptoribus, & furibus maledictis à
Deo & ab omnibus philoſophis. Sed po-
ſteaquā habui hanc ſcientiam, habui cogni- Quot noueris ſcientes lapidem.
tionem cum quindecim hominibus, qui
uerè eam ſciebant: ſed inter alios fuit unus
Barba-

Barbarinus, qui ita ut nos disputabamus & loquebamur simul, quamuis ego artē callerem biennio antè, tamen nondum fecissem, casu, inter disputandum de scientia, dixi me nondum expertum fuisse aut fecisse: Tunc ille Barbarinus uoluit postea quotidie me deuiare ac decipere à uera uia & scientia; Et propterea eum reliqui: quia tam benè sciebam artem quàm ipse, & nos disputauimus ut inter fratres: & maior res de qua nos loquebamur, erat de benè celando hanc scientiam: & ut uobis dixi, postquam sciui, habui societatem & cognitionem multorum qui eam sciebant antequam ego operatus essem: & loquebamur apertè simul: sed quantum ad ignem uniusmodi, erant contrarij unus alteri, quamuis in fine esset idem: omnino ut dicit Turba, facite ne Fasianus uolet ante insequentem, & hoc dicit quia ignis fit multis modis ut homo uult. Propterea nūc concludo, & me intelligite.

Conclusio & compendiaria declaratio.

Nostrum opus fit ex una radice & duabus substantijs mercurialibus, acceptis omnibus crudis extractis è minera puris & mundis coniunctis per ignem administratum, ut materia requirit, coctis continuè, donec duo fiant unum, & in isto uno quando sunt mixta, corpus est factum spiritus, & spiritus est factus corpus, tunc uigora tuum

ignem

ignem usq; quo fixum, teneat corpus non fixum, in suo colore & in sua natura: Nam scitote, quod quando est benè mixtum, superat omnia, & reducit omnia ad se, & ad suam uirtutem: Et notate quod postea tenet & tingit ac uincit mille millia, & ducenties mille, & qui habuerit (uiderit,) benè credat: & multiplicatur in uirtute & quantitate, ut uerissimus Pithagoras & Ysmidrius in turba loquuntur apertissimè & expertissimè: Sed scitote quod nunquam in aliquibus libris inueni multiplicationem, prçterquam in septem libris, id est, in magno rosario, in magnis pandectis Mariæ, in Verídico testamento Pythagoræ, in Turba, in Morieno, in Auicenna, & in libro Abagozal qui fuit frater Bendegiti: & in libro quē composuit Gessit Constantinopolitanus, & in Salon, & in alijs libris si fuerit, nunquam scire potui: & uidi unum Anchonitanum qui benè sciebat lapidem, sed nesciebat tamen multiplicationem, & ut sciret eam, sequutus est me annis sex: sed nunquam à me sciuit, quia habebat libros, ut eam sciret tam benè atque ego.

Quando augēdus sit ignis.

Nota.

Nota.

Nota.

Nota.

SEQVI-

Sequitur practica.



IAM LOCVTVS SVM de tota scientia speculatiua, & te docui de pręcipuis mineralibus, & informaui de rationibus necessarijs, quibus potes eleuare tuum intellectū, & cognoscere falsitates intra ueritatem, & esse informatus & securus in hoc opere. Nunc uolo particulariter docere te praxim in obscuris uerbis & parabolis, quemadmodum ego feci & composui lapidem quater: Et certò tibi dico, quod quicunque habuerit hunc librum, erit aut esse debebit extra omnes angustias & miserias, & scire debebit complete ueritatem sine ulla diminutione: Nam per Deum nescirem clarius loqui quàm nunc loquar, nisi tibi ostendam in effectu cum digitis: sed ratio non uult, quia timet: cum scies (uerum tibi dico) plus occultabis quàm ego: & eris admirabundus & territus de hoc quod locutus sum tam uulgariter & clarè atq; apertè, nam Dei uoluntas est,

ut ars

ut ars ista benè occultetur, ut dicit Turba, in omnibus & per omnia.

Sequitur quarta

PARS MEI LIBRI, IN QVA CONTINEtur *Praxis.*



VNC SCIRE DEBES, quod postquam multum studueram, & sentiebam me clarum, cœpi quærere homines uerè certos huius scientiæ, & nō errantes: nam sapiens homo petit alium sapientem, & non ignorantem, quia simile appetit suum simile: Et eundo per regiones uarias, transiui per Apuleam ciuitatem quę est in India, & audiui illic esse magnum doctum in omnibus scientijs, qui expendiderat (loyan) gemmam pro disputatione, & aderat bonus paruus liber cuius folia erant ex fino auro, & ita etiam tegumentū eius, & erat positus (pandu) pro disputatione contra omnes euntes & uenientes, qui scirent & uellent arguere de scientia: Et tunc

tunc iui per urbem quotidie desiderans ue-
nire ad finē honoris & cognitionis, quam-
uis sine prosecutione, & sine audacia nun-
quam uenissem ad honorem, quamuis sci-
entiam haberem: Et ita animosus ut debet
cordatus & strenuus uir, ponens me in iti-
nere iui ad disputationem, & lucratus sum
istum librum corâm toto mundo, quia be-
ne disputaui, & fuit mihi præsentatus per
facultatem philosophicam: unde totus
mundus cœpit me ualde aspicere: tunc iui
per medium campi, & quia uidebam me es-
se fessum in studijs, accidit quodam die quo
studere debueram ut disputarem sequenti
Vasis uitrei descriptio. mane, tunc inueni paruum fonticulum pul
crum & clarum, circumdatum paruo lapi-
de rotundo, & lapis ille erat in ueteri uase
creux de chaisne, & circum circa circumda-
tum erat muro, ne uaccę aut alię bestiæ bru-
tæ uel uolatiles biberent aut se madeface-
rent. Tunc tantus me inuasit appetitus dor
miendi, quod super eo fonte sedi, & cum se-
dissem, uidi fontem desuper aperiri & erat
bene firmatus uel clausus & custodiebatur:
transiuit illac antiquus pręsbyter, á quo pe-
tij, cur hic fons est ita clausus desuper, sub, &
ab omni latere, & ille fuit mihi gratiosus &
bonus, & incepit ita mihi dicere: Domine,
uerum est quod hic fons est mirabilis uir-
tutis

tutis plus quouis alio fonte totius mundi, & est solum pro rege regionis, quem ip e benè nouit, & ab eo cognoscitur uicissim: Nam Rex nunquam hac transit, quin fons eum ad se trahat: & quando Rex intrauit fontem, ut se balneet, moratur intus 282. dies, & fons ita lætum reddit Regem, quod in tanta uirtute crescit ut nemo eum uincere poßit: Quando ita transiuit Rex, fecit ita clarum & firmum fontem, primo ex uno lapide albo & rotundo ut uidetis, & fons est ita clarus atq; argentum finum, & coloris cœlestis: Et ne equi aut aliæ bestiæ adirent eum, fecit claudere eleuer uetus uas creux de chaisne fissum & tranché per medium, quod respicit Solem & umbram eius: Postea, ut uos uidetis, circumcirca est benè clausus densis muris: Quia primo includitur in pulcro lapide ualde claro, & postea est in uno uase creux de chaysne tranché per medium: & postea circumcirca illum est murus, qui est desuper, & subtus, & aperitur per medium, & ita esse oportet: Nam ille fons est tam terribilis uirtutis & naturæ, quod nisi ita esset, penetraret omnia si esset inflammatus & iratus, & si ille fugeret, nos essemus omnes amißi. Postea petij ab eo, uidisti ne Regem illum? qui respondit, sic, uidi eum intrantem, sed post-

Tempus decoctionis lapidis & perfectionis.

Aquæ fontis descriptio & fornacis.

quam intrauit, & fuit eius custodia firmata; nemo eum uidit usque ad 130. dies: Tunc enim incipiunt apparere & splendescere, & portæ custos calfacit suum balneum continue, ut ei custodiat calorem naturalem qui occultatur in ista aqua clara, & calfacit die noctuq; sine cessatione: Rursus postea petij ab eo quo colore esset Rex ille indutus, qui respondit fuisse indutum panno aureo primitus: postea habuisse unum propoinct fini serici uillosi nigri (fin Vellours) & habebat suum indusium album ut niuem, & eius caro erat coloris sanguinei ut sanguis. Et ita petij ab eo quotidie de eo Rege: postea dixi illi, Quando Rex uenit ad fontem ut se madefaciat, ducit ne secum magnam cateruam hominum extraneorum, & plebeiorum? qui mihi respondit amabiliter subridens, Certè quando iste Rex statuit uenire, relinquit omnem gentem suam extraneam, & dicto fonti nemo uicinatur, quam ipse, & nemo audet accedere nisi eius custodia seu custos, qui est homo simplicior totius mundi, nam nulla alia in re seruit nisi ut illi calefaciat balneum, sed non aproximatur fonti: Tunc ab eo interrogaui, Rex est ne amicus fontis, & fons uicissim eius? & ille mihi respondit, amant se mirabiliter, sed fons trahit Regem, non Rex

Rex clauditur in fonte a custode suo, id est sigillo Hermetico.

In centum & triginta diebus apparet albedo.

Color Regis ante ingressum fontis est aureus, post ingressum tres colores successiuos habet, nigrum, album & rubeum.

Nil extranei ingreditur opus.

Nil simplicius igne.

Rex fontem: Nam fons eſt Regi ut mater: & ego ab eo petij, cuius generationis & nationis eſſet Rex, qui reſpondit, ſcitur benè Regem illum factum eſſe ex illo fonte, & ille fons fecit talem qualis eſt ſine alia re: à quo petij num Rex teneret multam gentem, qui reſpondit eum non tenere præter ſex perſonas, qui obſeruant quod ſolus poſſet mori aliquando, & ipſi haberent regnum tam benè atq; ipſe: & propterea obſeruant & illi adminiſtrant, quia ſatagunt habere omnia ſua bona ex ipſo: Tunc dixi illi, eſt ne ſenex? qui reſpondit, eſt ſenior quàm fons, & maturior quàm mille ex ſuis gentibus quæ ſunt ſub ipſo: cui dixi, Et quare ſex illi ſerui eius non illū interficiunt, poſteaquam obſeruant & inhiant tot eius bonis, poſt eius mortem? & ita poſtquam eſt tam ſenex? Tunc reſpondit, Verum eſt illum eſſe ſenem, ſed tamen nullum habet ex ſuis famulis & ſubiectis qui tantùm frigoris, caloris, pluuiæ, ac uenti ferrent, neq; alium laborem qualemcunq; ut ipſe. Cui dixi ſaltem, cur non occidunt? qui reſpondit, illi ſex neq; eorum potentia & fortitudo ſimul, aut ſeparatim ſinguli neſcirent occidere. Et quomodo ergo, dixi illi, habebunt ipſius regnum quod poſsidet, poſteaquam habere non poſſunt uſque poſt

Fons eſt mater Regis, qui rex eſt factus ex iſto ſolo fonte ſine alia re.

Rex ſenior fonte.

Sex ſerui ſunt ſex alia metalla.

Nam Rex eſt aurum.

eius mortem, si eum occidere non possunt? Qui mihi respondit, illi sex sunt ex fonte, & habuerunt eorum bona æquè ut Rex ab ipso fonte, & quia ille est dignior alijs, ipse fons capit illum & trahit ad se, & interficit, postea rediuiuus fit ab ipsomet fonte, postea ex sua substantia & suo regno quod est in minimis particulis quilibet eorum capit suum frustulum, & ex minima parte quam quiuis eorum habeat, fit tam diues ut Rex, & unus perinde ut alius: Petij ab eo, quamdiu oportet illos expectare? & ille subridens, sic respondit: Scias quod Rex ingreditur fontem solus, & nemo extraneus, nemo ex sua gente intrat dictum fontem nisi ipse, quamuis ille amet eos, non intrant, quia nondū inseruierunt: sed tamen quando Rex intrauit, primò expoliat suam uestem auream ex auro cuso in folia, & eam tradit suo primo homini qui uocatur Saturnus, qui Saturnus eam accipit & custodit 40. diebus aut 42. aut plus quando eam semel habuit. Postea Rex exuit suum præpoinct ex fino uilluto nigro (uelours) & prębet suo secundo homini qui uocatur Iupiter, & eam custodit xx. diebus aut 22. (alibi dicitur 30.) & postea dictus Iupiter ex mandato Regis tradit eam Lunæ, qui est eius tertius homo, pulcher & resplendens,

Principium operis nota.

& is

& is custodit xx. dies (alibi 30.) & ita Rex est in suo puro indusio albo ut nix aut ut flos albus aut plus : & tunc exuit suum indusium album & finum, & tribuit suo quarto homini qui uocatur Venus, qui custodit eum indusium 40. uel 42. dies : postea Venus tribuit eum marti qui est eius quintus homo, qui custodit tale indusium 40. uel 42. diebus : Postea ille Mars diuina uoluntate tradit eum Soli flauo non claro, & ille custodit 40. diebus : postea uenit Sol pulcherrimus, sanguineus, qui indusium citò capit, & ex toto custodit, uel donec sit coloris papaueris (pauot) campestris aut croci Atrebatensis. Postea illi dixi, quid euadit istud totum? qui respondit, tunc fons se aperit, & postea ut illis donauit uestem primam, & le propoinct, & indusium finum & albissimum Regis, ille tribus semel & una uice donat suam carnem, sanguinem uermilium & sublimem in uirtute & colore ad comedendum, & tunc habent quod optant. Et dixi illi, expectant ne illi usque ad hoc tempus, nec possunt habere aliquid bonorum Regis usque ad finem? & ille mihi respondit, quando habent albissimum indusium, si uolunt quatuor ex illis genio indulgerent, sed non haberent præter dimidium Regni, & ita per parum temporis

plus eligunt potius expectare finem ad hoc ut coronentur corona sui Regis (glossa, in 180. diebus aut ad plus in 7. mensibus est completum elixir ad album, ut de eo possit fieri proiectio super quatuor corpora imperfecta, ut supra libro 3.) Sequitur, Tunc illi dixi, Quando Rex est in fonte, accedit ne aliquis medicus uel alius uel res aliqua? non, inquit, non adest alia persona neque res, quàm una custodia quæ sub balneo facit calorem continuum, circumdantem, aëreum & uaporosum, sine alia re. & dixi illi, ille custos (uel custodia, nam idem est) nonne laborat uel exercetur? qui respondit, plus laborat in fine quàm in principio, (nam ignis in fine est maior, uidelicet apparente albedine) nam in fine fons inflammatur. Et dixi illi, sunt ne multi qui uiderint fontem illum? qui dixit, totus mundus habet cum præ oculis suis, & non cognoscit aliquid. Et dixi illi, Quid postea adhuc agunt? qui respondit, si illi sex Reges uolunt, purgabunt illum Regem per tres dies in dicto fonte circulante & continuando locum aut ignem, & ponendo ad contentum continentiam contentam ut antea: (uel sic lege) dicto fonte circuendo & continuando locum aut contentum continentiæ contentæ in eo, dando illi primo die suum

Ignis qualis.

Cæcitas hominum.

suum proppinct de uellours noyr, secundo die postea dant illi suum indusium albissimum, tertio die dant illi suam carnem sanguineam. Cui dixi, qua in re seruit hoc? qui respondit, Deus fecit unum, postea decem, postea centũ, postea mille, postea 10. Mille, postea centum millia, postea 200000. & postea decies totum multiplicatum: Cui dixi, non intelligo dictum hoc: qui respondit, nõ dicam aliquid plus de hoc, quia sum admodum fessus; Et tunc uidi illum philosophum tam fessum & me etiam simul, ut haberem desiderium quiescendi, quia die prӕcedenti non quieueram, quia studueram: & comitatus sum illũ usq; ad eius hospitium, & senex ille erat usq; adeò sapiens, quod omnes illius regionis illi parebant, & tremebant corãm illo. Ergò redij ad fontem secretò, & cum illuc applicui, cœpi aperire omnes portas quӕ erant benè clausӕ, & cœpi aspicere mon ioyan (librum) quem uictoriosè lucratus fueram per disputationem, & ex splendore mei libri qui erat tam finum aurum, tam pulchrum, & ita ut dormiturirem, & ille cecidit in fontem antedictum, unde fui tam iratus ut mirum fuerit: Nam uolebã eum seruare pro laude ac trophæo mei honoris & quod lucratus essem: Tunc cœpi tantum respicere illum intus quod Multiplicatio.

omnino amisi uidendo: Tunc cœpi hauri-re aquam dicti fontis, & hausi tam bene ac secrete, quod non remansit nisi decima pars illius cum decem partibus illius fontis, & cum putarem me totum extrahere, non potui, quia nimis totum se simul tenebat: & cum laborarem in hoc faciendo, superuenere gentes, & non potui amplius trahere, sed antequam abirem, tam bene clauseram fontem & sigillaueram portas & aperturas in eum finem ut nemo hauriret in eum fontem, & etiam in hunc finem, ut nemo cognosceret me uidisse, & ne quis aufferret ac furaretur meum paruum librũ, quem tam charum habebam: Tunc calor balnei qui erat circa fontem ut Regem balnearet excalfactus est & illuminatus, & ego fui in carcere pro malefacto per 40. dies, & in fine 40. dierum exiui à carcere: postea uolui uidere dictum fontem, & uidi nebulas nigras & obscuras, quę longo tempore durarunt: sed tandem uidi quæcunq; optaueram ex toto corde: & si non habui multum laboris, ita nec tu habebis, ni erres à uia recta, eundo per mala & transuersa itinera errando, sed & faciendo opera quę natura requirit (nam insequenda est natura in opere philosophico.) Et iam dico tibi per Deum meum, quod quicunq; meum librum habebit,

Nota de pondere.

Nigredo in quadraginta diebus appa-ret, & durat quatuordecim alijs diebus.

bebit, nisi intelligat ex eo ipso, nunquam per alium intelliget quicquid agat: nam in mea parabola omnis ueritas & uera praxis operis adest, & dies, & colores, ignis, materia uel materialia, regimen, pondus, uia, dispositio, continuatio, omni meliori modo quo facere potui, pro uestra digna reuerentia & dignitate, in pietate & charitate & misericordia pauperum operantium & practicantium ac studentium in hac præciosa scientia.

Ita completus est meus liber per gratiam Dei creatoris mei, qui donet omnibus potentiam benè intelligendi: Nam profectò non adest multum difficultatis ut intelligatur: Non tamen nisi gentibus boni sensus, sine tot imaginationibus fantasiarum aut difficultatum uel subtilitatum: Nam dico omnibus quod tot subtilitates nō sunt bonæ aut proficuæ, neque sunt meæ intentionis neque sapientum philosophorum: sed bonum & planum iter naturale ut iam dixi & declaraui in mea speculatiua, seu theoria huius nobilis scientiæ. Quapropter filij mei ad quos liber iste perueniet post illum ad quem direxi, uelitis (si uobis placet) orare Deum pro me: Nam liber meus orat satis ueraciter pro uobis omnibus, pro uestris bonis & corporibus: tantum ut ei ue-

litis credere sine errore, & fugite errantes & eorum opiniones eorumq́ societates: Nã nesciretis cogitare magnũ damnum quod uobis contingere potest ab illis ex totali deuiatione, quam faciunt tales errantes contra eos qui sequuntur rectum iter huius ueræ scientiæ.

FINIS.

Hic finit liber & tractatus missus ad nobilem doctorem Magistrum Thomam de Bononia gubernatorem Galliæ, sapientissimum philosophũ & comitem Palatinũ, compositum à magistro Bernardo sapientissimo philosopho & comite Taruisino aut Treuirensi, qui acquisiuit & subiugauit comitatum Negensem in Germania per hanc artem præciosam & nobilem.

Finis libri Magnifici Magistri Domini Bernardi comitis Treuerensis.

Sequitur declaratio quorundam dictorum philosophicorum.



NATVRA EXVLTAT DE sua uel in sua natura, id est, corpus gaudet suo corpore.

Natura constringit naturam, id est, fixum constringit uolatiuum.

Natura superat naturam, id est, fixum, id est sperma masculinum coctum per continuationem caloris, superat sperma fœmineum crudum uolatile.

Sequamur rectum iter, id est, ueram semitam & ueram uiam quam natura tenet in omnibus creationibus, id est, in rebus à natura creatis, id est mercurio, qui non sit absens.

Operationes, id est quod in illo mercurio natura quotidie operatur. Et compositione pariter rei quam natura composuit, & non homo: Nam non opus est aliqua re

addenda uel diminuenda : & ſinenda eſt res ita ut natura creauit & compoſuit, & illa operatur quotidie eam rem.

Noſtra medicina facta eſt ex duobus ſpermatibus, id eſt, ex mercurio cocto, quod eſt ſperma maſculinum tenens in ſe duo elementa, calidum & ſiccum, & ex mercurio ſeu argento uiuo crudo & imperfecto, qui eſt ſperma fœmininum tenens in ſe duo alia elementa, nempe frigidum & humidum, ſeu aquam & terram.

Coniungite, id eſt, ponite in Vaſe pro ut natura creauit eum (uel ea) dummodo ſint mundificata, & illi facite calorem illi optabilem, & uidebis mirabilia in nomine Dei, Amen.

FINIS.

M. D. LXVII.